Digitized by Google

Moral. 415

Digitized by Google

DE ÆQUA MORUM CENSURA

ADVERSUS

RIGIDIOREM

ET

REMISSIOREM.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,

Monacho O. S. B. e Congr. S. Blaſii in Silva nigra,

Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT, S. Q. R. I. Princ. & Epiſcopi Conſtant. &c. &c.

Theologo.



Permiſſu Superiorum.

Typis Princ. Monaſt. S. BLASII. 1763.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Quod a Græciæ ſapiente olim obſcurius ſumus commonefacti, ne in bivio eamus, id ego apertius nunc conſtitutum habeo: nimirum a duplici in adverſa ducente via ad mediam, qua tutiſſimus quisque eat, revocare conſilium mihi eſt. Periculum veluti in ipſa ſchola veritatis theologia chriſtiana hæret. Et quidem negotium de recto ad æternitatem tramite eſt: quo itinere vita noſtra conſumatur, eoque recte vel ſecus inſtituto, aut felices æternum ſumus, aut miſeri. Non de illis nunc res eſt, qui dogmatum perver-

Digitized by Google

ſitate formam evangelicam in agendis etiam ſubruunt, & quidem præclaro reformandi obtentu, ruinam doctrinæ moralis chriſtianæ adducunt: dum ſolam fidem juſtificantem ſciſcunt, nihil bonis operibus neceſſitatis aut meriti attribuunt: quævis opera etiam in juſtis pro peccatis habent: credentes ab omni lege liberos faciunt: nemini legem aut mandatum ab hominibus poſſe imponi contendunt, niſi conſentienti, nec in conſcientia obligare ſive eccleſiaſtica, ſive civili auctoritate proponatur. Immo his neque evangelium legis loco eſt: ac ſi Chriſtus non legislator, ſed redemtor ſolum ſit; hæcque libertas chriſtiana habeatur, eſſe ſolutum omni legis vinculo, a cujus nos Chriſtus liberaverit obligatione, conſequenter etiam moralium decalogi præceptorum, quæ legis naturæ compendium quoddam ſunt, ſed quibus ſervandis pares haud ſimus; tantum intereſſe quod transgreſſiones legis ſeu peccata aliis imputentur, aliis non imputentur per Chriſti quidem gratiam, quæ tamen ſemel obtenta amitti jam non poſſit; & quivis certus de ſua ſalute eſſe debeat. Qua imbutus perſuaſione impune ſe vitiis quis dedet: fures, adulteri, homicidæ, fide divina ſe juſtos, atque amicos DEI jactabunt: nullus

cum

cum timore & tremore ſalutem ſuam operabitur: nullus orationibus eleemoſynis aliisque piis operibus divinam gratiam demereri ſtudebit: nemo peccatum abhorrebit ſaluti infeſtum, niſi ſolam incredulitatem. Ceſſabunt quivis pœnitentiæ pro ſatisfactione admiſſorum ſcelerum labores, & rigor: & revera hi apud veteres tam ſacram pœnitentiæ auſteritatem iisdem carpſerunt. Quorſum iſtos dogma ſolius fidei juſtificantis adduxit, *Michaelem* MOLINOS neſcio quæ amoris ac quietis larva delirare fecit, haud abſimili Maſilianorum hæreticorum dementia, omnem chriſtianam vitam in orationis perfunctionibus conſtituentium: tanquam homo ſemel ad ſtatum perfectionis provectus, per orationis quietem amore puro, ſed phantaſtico, DEO conjunctus illo juſtitiæ gradu, ſtatuque excidere amplius non poſſit, quæcunque horrenda flagitia & turpiſſimas libidines deſignet.

Sic hi Chriſtianiſmum deturpant, ac peſſumdant. Sed alia eſt adhuc aberratio excogitatis noſtro potiſſimum ævo ſyſtematibus naturalis ſeu civilis diſciplinæ officiorum in quibus jam fere Proteſtantium induſtria verſatur, in conſtituendis vitæ ac morum re-

Digitized by Google

gulis nihil penſi habitis ſanctiſſimis evangelii canonumque eccleſiaſticorum præceptionibus. Sic enim vero civem ſuum inſtituunt plerumque, ut facile omnem chriſtianiſmi ſenſum deponat. Ut enim nihil de HOBBESII impietate dicam, qui amorem proprium, potentiam, conſervationemque ſui, ſive bellum omnium adverſus omnes juris naturalis principium conſtituit; quid de famoſo illo ſocialitatis principio dicam, quo, ſi præciſe in eo ſiſtatur, officia erga DEUM excluduntur, nec interiorum actionum ratio habetur ſtatusque hominum ſanctiſſimi republica propelluntur. Quid de illis, qui felicitate hujus vitæ omnia metiuntur, quæ in eo ſita ſit, ut maxima laude, ſuavitate, & rerum omnium ſufficientia afficiatur homo, quæ ambitioni, voluptatibus, avaritiæ aperte favent: quid de communi illo errore, quo omnia hominis officia natura circumſcribunt, ſemota conditoris agnitione & gloria: unde tantus Atheiſtarum numerus excrevit, & quæ ſunt alia omnem religionis ſenſum abjicientium portenta; unde item tam abſona doctrinæ moralis capita pullulant, quæ, periculum eſt, ut magis magisque accumulentur: ut dum e. c. mendaciis, uſuris, imo

vagæ

vagæ etiam libidini atque inceſtui quandam excuſationem adhibere norunt.

Sed relinquamus iſtos, qui ad noſtram diſciplinam non pertinent; ſunt etiam in ſinu matris eccleſiæ, qui morum chriſtianorum inſtitutiones non ſatis ad evangelii formam accommodatas ediderunt ex fictitiæ libertatis fundamento, quam apoſtolus de his poſtremis temporibus prædixerat, fore homines cupiditatis magis amantes quam DEI. Itaque quando anceps nec certa eſt officii chriſtiani obligatio, ſtatim libertatis poſſeſſio prætexitur, hominemque ſolutum legis obſervatione pronunciant: miſſo pio illo in DEUM affectu, quo nihil adeo percupere debet homo, quam divinæ ſeſe ex toto corde juxta primum ac maximum amoris præceptum, accommodare voluntati, operante hunc in nobis animum Spiritu ſancto, diffuſo in cordibus noſtris per charitatem. Moralis chriſtianæ fundamentum gratia DEI eſt, qui in nobis operatur & velle & perficere juxta apoſtolum. Sicque interpretandi ſunt etiam ſancti Patres, ſi quandoque modo quodam veluti Pelagiano fideles ad vitæ chriſtianæ actiones hortantur, atque vulgare illud apud theologos, facienti quod eſt

in ſe, DEUS non denegat gratiam. Neque enim acciſæ naturæ corruptæ vires ſine gratiæ adjutorio eniti valent. Omnia autem poſſumus in eo, qui nos confortat.

Atque hæc altera aberrandi cauſa fuit, patrocinium naturæ lapſæ rationisque corruptæ ſpreto evangelii ducatu, atque avitæ eccleſiaſticæ diſciplinæ. Profecto enim a quo tempore rationi ac philoſophiæ tantum in theologia eſt conceſſus locus, morum chriſtianorum invaluit depravatio. Jamque exiſtimatur rigor vitæ, & auſteritas omnis intolerabilis, deficiente indies, ut dictitant, natura: cum defectus perverſis hominum ſtudiis ac incuriæ ſalutis ſit tribuendus. Quibus fontibus tantam moribus chriſtianorum ſtragem illatam ſenſit clerus Gallicanus, dum anno 1655. ſolemni conventu damnavit illam theologicam ſcientiam, qua *non jam accommodarent homines mores ſuos ad evangelicæ doctrinæ normam, ſed ipſam potius regulam ac ſancta mandata ad cupiditates ſuas inflecterent, & detorquerent, novaque inani philoſophia chriſtianam diſciplinam in academicas quæſtiones ac dubia, fluctuantesque ſententias verterent.* Quivis animadvertit Probabilitatis hic peti commentum, quo factum, ut nullum fere

vitium

vitium quodammodo patronis careat, qui licentiam vivendi, libertatem jactant, & undique aucupantur, ſi quem ſuis deſideriis velificantem nanciſcantur auctorem, illud HORATII ſequentes:

Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.

Mens fuit plerisque iſtiusmodi morum dictatoribus aliquid connivere hominum perverſæ indoli, ne malum exaſperetur. Sed non attenderunt, nimia indulgentia homines in reprobum ſenſum agi. *Facinoris viam*, inquit PACIANUS in Parænesi ad pœnitentiam, *monſtrat innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur.* Præclare etiam S. AMBROSIUS nos monitos vult in illa Pſ. 118. verba: *Et de lege tua miſerere mei: Ne & ipſos faciamus deteriores, quorum miſeremur injuſte: plerumque non coercere delinquentes majoris auſteritatis eſt, quam ſi ulciſcaris.... ut cum nullum flagitiorum ſuorum pretium tulerint, juſta DEI vindicta in paſſiones ignominiæ tradantur.*

Remiſſum equidem plurimum eſt ſucceſſu temporum ſenſim ſine ſenſu, atque etiam eccleſia prudenti ac neceſſaria œconomia pluſculum indulſit; nec privatorum homi-

num tamen eſt, novos ſe erigere legislatores ut fecerunt Rigoriſtæ: cum enim auctoritate privata hoc ſibi ſumſerint, potius exacerbaſſe malum ſunt viſi. En duas oppoſitas factiones Probabiliſmi & Rigoriſmi, quas æque declinare debeas, ſi rectum vitæ tramitem tenere cupis: altera nimium indulgente, altera omnino ultra vires aggravante; media autem procedit æqua morum cenſura adverſus Rigidiorem & Remiſſiorem.

Eſt hic Probabilioriſmus, quo id in conflictu rationum tenendum ſuſcipitur quod probabilius, propiusque accedere veritati videtur, etiamſi immunitatem forte a lege faciat. Unde immerito Rigoriſmi a Probabiliſtis accuſatur hæc doctrina, quod factum in famoſa concione Auguſtæ Vindelicorum a R. P. *Franciſco* NEUMAYR anno 1759. habita, dolui, atque Romæ juſſu S. Indicis Congreg. anno 1754. P. *Nicolaus* GHEZZI in ſua declaratione & proteſtatione, ob librum quemdam abs ſe editum & inſcriptum: *De' Principi della Morale Filoſofia &c.* idipſum retractat, dum viſus eſt aliquibus notam Rigoriſtarum & Janſenianorum univerſis Probabiliſmi impugnatoribus inurere. *At, ut verum fatear*, inquit,

quit, *Rigoriſtas ſolum appello eos Antiprobabiliſtas, qui quum inter opiniones ſeligant eas ſemper, quæ ſunt rigidiores, etiamſi multoties ſolidiores non ſint, melioribusque innixæ fundamentis, gloriantur ſe profiteri moralem ſcientiam ſeveram ac rigidam, interea vero vituperant ſemper & reprehendunt uti laxas & irrationabiles aliorum ſententias, quamvis interdum bonis illæ, ſolidisque rationibus innitantur. Inter Janſeniſtas porro nunquam recenſere volui tot catholicos Probabilioriſtas, variorum inſtitutorum, imo & meæ ipſius Societatis, qui nihil proculdubio commune habent cum erroribus illius ſectæ.*

Dum ſuperiore anno in Italia verſabar, in actis capituli generalis totius Ordinis Patrum Minorum in Conventu *S. Franciſci* Mantuæ Seſs. XV. ſequentem in modum ſtatutum eſt: *Ad hæc cupiens generale capitulum ea ſcandala ab ordine removere, quæ ex nimia opinandi licentia in doctrinis, præcipue ad mores pertinentibus, oriri & ſuſcitari poſſent; renovat ac confirmat eas omnes conſtitutiones, quæ in aliis præcedentibus capitulis generalibus de doctrinis in noſtris ſcholis, & a noſtratibus ſeligendis decreta ſunt. Et ad hunc effectum mandat & præcipit Sac. Theol. Lectoribus*

Digitized by Google

ribus, aliis omnibus, quatenus doctrinas tutiores & probabiliores ſemper doceant, & amplectantur. Quæ explicatius Rev.mus *Joan.* de MOLINA, in miniſtrum totius Ordinis prædicto in capitulo generali electus in litteris encyclicis Romæ datis die 4. Octobr. ejusdem anni 1762. ita propoſuit: *Illis tandem, qui ad tradendam morum doctrinam ſunt inſtituti, in virtute ſanctæ obedientiæ totius capituli generalis graviſſimo decreto inhærendo mandamus & præcipimus, ut tutiores & probabiliores doceant, & ſectentur doctrinas. Quodſi horum aliquis vel in ſcholis, vel in publicis lectionibus, quæ ſecundum provinciarum morem habentur coram tota communitate de morali theologia, vel in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ auſus fuerit ad uſum revocare minus probabiles, laxas & periculoſas doctrinas a miniſtris provincialibus, quorum conſcientia onerata remanet pro prima vice ſerio corrigatur, niſi vero ad cor revertatur & reſipiſcat, lectorum officio, ac miniſterio excipiendi ſacramentales confeſſiones omnino & indiſpenſabiliter privetur. Ad quæcunque autem hactenus recenſita ſtudia, præſertim moralia & theologica recte inſtituenda, Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ, & ſubtilium principis Joannis Scoti probabiliores, tutas & ſolidas doctrinas,*

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum legum noſtrarum præſcriptum, lectores illuſtrare, & ſequi non prætermittant. Rev.mus P. *Paſchalis* a VARISIO, ejusdem Ordinis in Ciſmontana familia, tam Obſervantium, quam Reformatorum & Conceptioniſtarum commiſſarius generalis, viſitator ac reformator apoſtolicus in epiſtola encyclica ineunte anno hoc, 1763. dum adhuc Romæ eram, data, relato capituli ac miniſtri generalis decreto inhærendo *ſub eodem graviſſimo ſanctæ obedientiæ præcepto, eademque ſub pœna, nec non ſub interminatione divini judicii adverſus illos, qui minus tutas, minusque probabiles opiniones ſcienter ac voluntarie docere, amplexari, vel tueri præſumerent*, idipſum ſerio diſtricteque præcipit: tum de tradenda in rebus morum tutiori ac probabiliori opinione, tum de tuenda in quæſtionibus de natura, gratia & prædeſtinatione S. AUGUSTINI doctrina. Quamobrem quotannis tam a provincialibus miniſtris cæterisque definitorii Patribus, quam ab ipſismet lectoribus aliisque Patribus & Fratribus conventuum, in quo lectores morantur propria manu ſubſcriptam ac juramento firmatam fidem authenticam transmitti ad ſe jubet, demumque ſubdit: *Sint igitur dociles lectores noſtri, ut ſaniora ſemper*

per, ſanctioraque amplectantur, nec eant, quo itur, ſed quo eſt eundum: meminerintque viam latam, quæ multorum eſt, ad perditionem, arctam vero, quæ eſt paucorum, ad ſalutem adducere. Laxioris proinde ac indulgentioris doctrinæ auctoribus quam longiſſime relegatis, ea conſulant opera, in quibus magis tuta & certa morum traduntur principia: qualia ſunt, ut ex noſtris unum alterumve memoremus ſumma Alenſis, Aſtenſis, atque Angelica, nec non Fr. Henno tractatus morales: conenturque imitari & Fr. Anton. Cordubam, qui Probabiliſmum vel in ipſis ſuis incunabulis præfocare ac extinguere ſategit, & Fr. Syrum Placentinum, qui ipſum jam adultum penitus exterminare curavit. Quicunque enim Probabiliſmum, quem omnium laxitatum fontem, ac propoſitionum ab eccleſia hactenus proſcriptarum fœcundiſſimam ſcaturiginem eſſe omnes æqui rerum æſtimatores proclamant, toto niſu e noſtris ſcholis exterminare curaverint, ſalutaris obedientiæ meritum, quam lubentiſſime iisdem Nos impartimur. Nuperrime tota ea epiſtola encyclica recuſa eſt Viennæ: ubi librorum theſiumque cenſores publici conſtanti lege rejiciunt Probabiliſmum, ne a quoquam propugnandus ſuſcipiatur. Quod exemplum

uti-

utinam ſequantur aliæ urbes cathedrales Germaniæ, aut academiæ ac cathedræ theologicæ publicæ, tum etiam privatæ apud ordines religioſos, eos præſertim, apud quos in Italia & Gallia dudum eſt proſcriptus Probabiliſmus.

Quæ cauſa fuit hujus operis poſt tot quidem alia id genus, in noſtratium potiſſimum gratiam, qui tardius expulſo jam ubique fere gentium Probabiliſmo, renunciare videntur. Optandum vero quam maxime eſſet, ut parem religionem & zelum alii aliorum ordinum ſuperiores commonſtrarent, qualem in Seraphico S. FRANCISCI cernimus, qualemve in ſequenti tractatione eccleſiæ paſtorum intelligemus, penes quos non minus quoad morum, quam fidei doctrinam eſt magiſterium; ne quis turbam ac numerum theologorum Probabiliſmi patronorum objiciat, quamvis is etiam valde decreſcat: nec unquam unanimi conſenſu uſum opinionis minus probabilis licitum docuerunt theologi: ſecus cum P. *Nic.* GHEZZI, innixus fidei & auctoritati P. de CHAMPS in ſuo libello, cui titulus *Quæſtio facti*, aſſeruiſſet, in laudata declaratione & proteſtatione pariter juſſu S. Indicis Congr. retractat.

SYL-

Digitized by Google

❧) ✠ (❧

SYLLABUS CAPITUM.

CAPUT I.

Rigoriſmi præcipue recentioris ortus.

CAPUT II.

Planior & explicatior ex fontibus relatis redundans Rigoriſmi adumbratio, quoad mores chriſtianos ſpectat.

CAPUT III.

De Rigoriſtarum doctrinis ad diſciplinam eccleſiaſticam attinentibus.

CAPUT IV

Exponitur ortus & progreſſus, nec non fata indulgentioris morum doctrinæ.

CAPUT V.

Quam labili ac fallaci fundamento, quam infirmis principiis nitatur Probabiliſmus.

CAPUT VI.

Conſectaria, quæ contra divina & humana jura ex doctrina Probabiliſtarum elici queant.

CAPUT VII.

Fons & ſcaturigo erroris utrinque oppoſiti Rigoriſmi & Probabiliſmi.

CAPUT VIII.

De æqua morum cenſura, & pœnitentiæ diſciplina contra Rigoriſtas.

CAPUT IX.

Æqua morum cenſura contra Probabiliſtas ſtatuitur.

CAPUT X.

Concurſus naturæ & gratiæ ad emendandos, atque ad rectam regulam æquamque normam inſtituendos mores, ac actiones ſingulas.

CAPUT. XI.

Gaudium & tranquillitas conſcientiæ ex æqua morum cenſura, atque actionum omnium ad ultimum finem, ſummumque bonum relatione.

DE

Digitized by Google

DE ÆQUA MORUM CENSURA ADVERSUS RIGIDIOREM ET REMISSIOREM.

CAPUT I.

Rigoriſmi præcipue recentioris ortus.

I.

Inconſultus quidam zelus haud infrequenter inde a primis naſcentis eccleſiæ temporibus abripuit integras nonnunquam etiam eccleſias, & provincias. Rigoriſmus antiquus.

Digitized by Google

Ne quid de illis dicam, qui nimio Judaicæ legis ſtudio, & æmulatione primævam conturbarunt eccleſiam, atque haud parum apoſtolis fecerunt negotii, ipſamque petram, cui ſuperſtruenda erat eccleſia, commoverunt: ne etiam commemorem diverſa factionum tam hæreticarum, quam ſchiſmaticarum genera, quarum ſecundi generis, ſchiſmatici nimirum, omnes nimio rigioris prætextu funeſta ruptura ſunt ab eccleſia abſciſſi, Montaniſtæ, Novatiani, Donatiſtæ, Euſtatiani, Audiani, Meletiani, Luciferiani. In ipſo eccleſiæ gremio, in ſacris etiam conventibus nonnunquam quidam ſeſe exſeruit Rigoriſmus, homines in deſperationem agere aptus, qui an, ut ſpe veniæ & reconciliationis grandes peccatores ab eccleſia obtinendæ deſtitutos, ita etiam clauſa divinæ miſericordiæ viſcera exiſtimarent, nunc non diſcutio. Ex Africa ad CORNELIUM ſcribens CYPRIANUS, *importunos, vel etiam inhumanos cenſores* hujusmodi indigitat; qui ipſe illis, quos ſerius ſuarum pœniteret culparum, negandum pœnitentiæ fructum voluit, dum in extremis conſiſterent; quibus ſæpius ob alias etiam cauſas, & culpas negata eſt in articulo mortis reconciliatio, communioque diverſis in locis ac temporibus.

Poſtea

Digitized by Google

Poſtea vero frequenter tamdiu eſt dilata reconciliatio, & conceſſa tam gravibus ſub conditionibus, & rigidis pœnitentiæ operibus, diſciplinaque magis & magis eſt conſtricta, ut ab actione pœnitentiæ abſterrerentur fideles, & tandem diſciplina illa omnis fere corrueret.

II. Jam quam proxime ad Rigoriſmi originem natalesque devenimus. Eſt inter quinque damnatas propoſitiones JANSENII, *aliqua DEI præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires eſſe impoſſibilia: deeſſeque illis gratiam, qua poſſibilia fiant.* Huic errori ſeſe catholica opponit veritas, juſtis non deeſſe gratiam, ſufficientiaque auxilia, aut eam ſaltem adeſſe gratiam, qua neceſſariæ ad bene agendum vires poſſint implorari, impetrarique, niſi homo obſiſtat, obicem ponat, ac obturet gratiarum fontem. Hic JANSENII fautores, errorem de morali diſciplina exſculpſerunt, ſic argumentati: *Si qua actio*, ajunt (*a*), *ex regula ſit falſa, ſive ex opinione probabili falſa facta ſit, conſequens eſt, ſine gratia facta ſit, quatenus ex illa ſit regula: igitur ſaltem ex hac parte bonam eſſe non poſſe, nec ſic a Spiritu S. oriri.* Quare illis jam nulla

Rigoriſmi origo ex JANSENII de Gratia doctrina eruitur.

a.

A 2

(*a*) Vid. WENDR. in Epiſt. 5tam Not. 1. S. 3.

nulla actio probari excuſarique poteſt, niſi de ejus honeſtate certus quis ſit; putantque, ſi certos nos eſſe non contingat, tutius eſſe neceſſario ſectandum, quamdiu adeſt periculum de actionis malitia qualicunque. Volunt autem tamdiu præſens eſſe malitiæ, peccatique periculum, quamdiu de bonitate actionis certo non conſtet: quod ſemper contingit, ubi de adverſa partę vel leviſſima adeſt ſuſpicio. Econtra nos ſatis eſſe cenſemus ad peccati excuſationem, quando conſcientiæ ductum ſecuti, recte nos agere judicamus, tametſi forte nos male judicaſſe eveniat; tunc namque tantum *materiale* peccatum, nec imputandum eſſe ſumus perſuaſi: eoquod DEUS impoſſibilia non præcipiat, neque fieri poſſit, ut de omnibus operibus noſtris certum veritatis judicium ſemper affulgeat, cum ſæpenumero ſanctiſſimos etiam viros in errores opinando lapſos ſciamus.

Alterum Rigoriſmi caput officia chriſtiana attinens ex Janſeniſtarum de amore dogmate.

III. Ex vicino ſuperioribus errore, quo omnes actus vitio infectos ſtatuunt, niſi amore divino ſint animati, alterum Rigoriſtæ doctrinæ caput officia chriſtiana, diſciplinam præcipue in Sacramento Pœnitentiæ attinens, eliciunt. Omnes honeſtos actus, omnes virtutes etiam chriſtianas pro evanidis habent,

quæ

quæ ex charitate non fiant: & quoniam omnem gratiam charitate circumſcribunt, ſequitur, ut opus bonum ſit, ex charitate debere fieri, nec gratiam habere conjunctam, ſi charitas abſit. Audi ipſum MONTALTIUM, ſeu ſub hoc nomine latitantem *Blaſium* PASCALEM: (*a*) *Videbis*, ait de diſciplina morali diſſerens, *pro vera ſolidaque virtute neſcio, quæ tantum circumferri ſimulacra virtutum ſpiritu ac ſenſu, id eſt, charitate carentia: videbis innumeras morum labes ignava quadam indulgentia tolerari: nec jam ſtupebis, cur ſemper ad iſtam, quam ſibi fingunt, pietatem ſufficientiſſimam gratiam adeſſe contendant: prorſus ad virtutem philoſophicam & ethnicam, qualis illorum ſcriptis adumbratur, natura ſufficit. Nos quidem efficacis gratiæ auxilium ad virtutis opera neceſſarium contendimus: ſed aliusmodi virtutes cogitamus: nec id modo volumus, ut vitia vitiis ſuperentur, aut ut externa demum religionis impleantur officia: veram, nec fucatam virtutem exigimus, a qua longiſſime abſit, & fallax Phariſæorum virtus, & vana gentilium ſapientia. Huic Jeſuiticæ virtuti conſequendæ lege adjuta ratio ſufficiens gratia eſt. Verum ut amore ſæculi expediatur animus, ut ſibi moriens uni DEO vivat, illique indi-*

(a) Epiſt. V. ad Provincial. p. 66.

vulſo nexu cohæreat, hoc vero ſola demum omnipotens gratia præſtat: ut perinde abſurdi ſint, qui chriſtianas virtutes ſemper collocent in hominum nutu, & qui virtutes illas charitatis inanes, quas pro chriſtianis obtrudunt Jeſuitæ, in noſtro ſemper arbitrio poſitas negent. Hæc arcanum Rigoriſtarum aperte produnt; quo nimirum ſuo de gratia, & amore DEI errore, quæ duo fere confundunt, ad moralem diſciplinam abutuntur: patet hinc, virtutes, quæ ex charitate non fiunt, ab iis pro fallacibus ſimulacris haberi, idque hoc conſilio ab ipſis fieri, ut ſolam ſuam ſuperiorem ex charitate invictam ſtatuant gratiam, exploſa omni alia pia gratiæ inſpiratione. Qui eſt nexus doctrinæ de gratia, amore DEI, cum ea de diſciplina, & moribus chriſtianis: non ſolum quod externa opera attinet, ſed etiam internos actus ad ſacramentum præcipue Pœnitentiæ neceſſarios, aliis item virtutum exercitationibus conjunctos, aut ex iſtorum ſententia conjungendos.

Præcipuus Rigoriſmi fomes doctrina Janſeniſtica de corruptæ naturæ ſtatu.

IV. Quoniam vero JANSENIUS totum ſuum de Gratia ædificium naturæ poſt lapſum corruptæ adaptare ſibi viſus eſt, hocque in ſtatu hominis liberum arbitrium *a neceſſitate* negavit, ſoli integræ naturæ concedens; non idcirco

tamen

tamen immunem hominem a peccatis illis credidit, quæ ſemota coactione ſola ſimplici neceſſitate ſponte patrarentur. Dictitabat nempe, nobis eas noxas imputari, quæ in voluntate ADAMI veluti in cauſa liberæ fuerint, cum inde ſit ea ignorantiæ labes, quæ peccatorum magnam partem comitatur: nec referre, an vinci induſtria præſenti, præſentibusque gratiæ auxiliis communiter concedi ſolitis, potuerit: haud ſecus ac ebrio adſcribatur peccatum, quod patrandum præviderit, nec tamen ebrietatem caverit. Qua in re illi omnes JANSENII fautores magiſtrum ſequuntur, qui ajunt, ad peccati noxam ſufficere ſolam a coactione libertatem: hinc proſcriptæ illæ ab ALEXANDRO VIII. propoſitiones: *In ſtatu naturæ lapſæ ad formale peccatum, & demeritum ſufficit illa libertas, quæ voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Et altera: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* Adverſis jactis fundamentis quid aliud conſequitur, niſi certa & tutiora ſemper eſſe amplectenda, ut a peccatis ignorantiæ ſatis nobis cautum ſit? Qui eſt ipſiſſimus Rigoriſmus, quem damnamus, ne-

ceſſario vinculo connexus cum dogmate JANSENII, ejusque fautorum, quo cauſam corruptæ naturæ quam maxime atris depingunt coloribus, tantum, ut cum LUTHERO & Calviniſtis ipſam ignorantiam, ipſamque concupiſcentiam in ſe præciſe ſpectatam pro peccato non habeant: quamvis omnia ignorantiæ, quantumvis invincibilis, peccata culpæ tribuant. Similiter etiam concupiſcentiæ actus imputant, nihil in nobis eſſe contendentes, quod non ſit aut a DEO infuſa charitas, aut carnis noxia cupiditas: ignorantia intellectum, concupiſcentia voluntatem in ſuas partes trahentibus, ambabusque communes operas ad interitum noſtrum conferentibus: præſertim concupiſcentia, quæ novas etiam intellectui affundat tenebras, ut hinc multo pronius de bonis, malisque rebus, de morum regulis in deterius intellectus ſit judicium, quam in arbitrandis fidei dogmatibus, inde magis hic cavendam ignorantiam. Quod equidem a catholica norma alienum non eſt, modo invincibilis ignorantiæ peccata imputanda nobis eſſe non dicantur: unde neceſſum ſit, certa ſemper, & tutiora ſectari, ne ſaltem ignorantibus nobis, & attendere, aut ſatis præcavere imparibus, aliquid labis peccati accidat.

Atqui

Digitized by Google

Atqui in doctrina hac de liberi arbitrii, naturæ per peccatum primi parentis ignorantia & concupiſcentia infectæ, corruptione præcipuam Rigoriſmi arcem conſtituunt ejus patroni.

V. JANSENII defenſores aſſueti contentionibus cum Jeſuitis, quos maximos adverſarios in dogmate de gratia nacti ſunt, MOLINÆ ſyſtemate ex adverſo cum JANSENII ſuo pugnante; bellum redintegrarunt in hac moralis chriſtianæ, diſciplinæque eccleſiaſticæ materia. Paſſim corruptam theologiam moralem Jeſuiticæ ſectæ nomine traduxerunt; ac ſi iſti ſoli & auctores, & propugnatores labefactorum chriſtianorum morum forent. Argumentum hujus rei tot ſcripta, præſertim in Gallia edita, præbent, quibus utraque litigantium pars cauſam ſuam propugnare, adverſæ objecta propulſare annifa eſt. Inter hæc merito nominari debent epiſtolæ illæ ad amicum Provincialem ſcriptæ ac editæ primum anno 1656. ſub ficto *Ludovici* MONTALTII nomine, quarum verus auctor *Blaſius* PASCAL, ut jam notavimus, habetur, mathematicus inſignis potius, quam theologus. Ferunt PASCALEM vicinum morti dolorem ingentem ſignificaſſe, quod has ſcripſerit epiſtolas, atque eas retractaſſe. Eæ quamprimum in lucem

Alia Rigoriſmi cauſa.

prodierunt, decreto parlamenti flammis ultricibus carnificis manu ſunt traditæ; in foro autem eccleſiaſtico ſevere prohibitæ ac proſcriptæ. Epiſcopi & doctores Pariſienſes, quibus commiſſum eſt earum examen, contineri in illis errores condemnatos in Jansenio declararunt, hincque mereri pœnas per jus civile & canonicum ſtatutas contra libellos famoſos & hæreticos. Tomo primo apologiæ *Honorati* Fabri refertur etiam decretum Alexandri VII. quo proſcribuntur dictæ epiſtolæ. Quibus nihil obſtantibus e Gallica lingua in Anglicam, Hiſpanicam, Italicam ſunt traductæ. De Hiſpanica illud memorabile, eam adornatam, ut in Indias transmiſſa, Jeſuitis invidiam conciliaret; ſed ne fieret, inquiſitionis tribunal in Hiſpania impedivit. Latina translatio celebrior ſub nomine *Wilhelmi* Wendrochii, quo nomine latet *Petrus* Nicollius, qui præter interpretationem ſuam notas ampliſſimas, infartis etiam ſubinde integris diſſertationibus, addidit. Tanti hæ epiſtolæ a multis habitæ ſunt, ob ſingulares ingenii ac artis dotes, virtutesque in illis enitentes, ut abbas ille apud Peraltum de comparatione veterum & recentiorum has epiſtolas dignas judicaverit, quarum artificium antiquis

non

non tantum opponeret, ſed etiam anteferret: auctor dialogorum, CLEANDER & EUDOXUS, exſcripſit, quidquid apud PERALTUM de his litteris diſſeritur: inſuper hiſtoriam harum litterarum texit, atque in eo totus eſt, ut eas atro carbone notet. Has refutare primum aggreſſus eſt theologus quidam ſub nomine STUBROCKII, theologi Wiennenſis, ſed obſcurior iſta refutatio, quam aliæ complures a doctiſſimis Jeſuitis Gallis confectæ: inter quas etiam fuerunt, quæ a Romana ſede proſcriptæ, & in cenſum librorum prohibitorum ſunt relatæ. Litterarum vero ad provincialem etiam pejor fuit ſors, quæ non fulmine ſolum Vaticano tactæ ſunt, atque non uno Galliæ loco lictoris manu in ignem projectæ arſerunt, ſed etiam multorum Galliæ præſulum, ac doctorum indignationem & condemnationem expertæ ſunt graviſſimam. Fuerunt, qui non alio nomine has epiſtolas damnatas putent, quam, quod ſine veri auctoris, typographique nomine, nulla approbatione firmatæ prodierint. Auctor, in plerisque epiſtolis colloquium cum Jeſuita fingit, ſalesque ubique ridet, & illudit. Moralem & politicam artem cavillatur. Sic autem utramque nexam ſibi & colligatam vult, ut politicæ ar-

tis

tis fundamentum in probabilitatis dogmate conſiſtat, cujus ea facultas ſit, ut e contrariis doctorum ſententiis utramlibet eligere liceat. Qua ratione ſeſe animarum rectores omnibus moribus conformare, accommodareque queant: nunc molles ac benigni: nunc rigidi, durique, prout in homines inciderint, quibus vel mollities, vel auſteritas arrideat. Auctor majorem ſermonis partem referendis moralis capitibus tribuit. Poſtremo demum de hac materia colloquio acerrime in eos, eorumque morum doctrinam, ac politicas artes invehitur: quo non obſcure odium, animumque exulceratum, exacerbatumque prodit.

ARNALDI & aliorum ſcripta & ſtudia.

VI. *Theophilus* RAYNALDUS in ſuo *Arnaldo de Brixia Lutetiæ redivivo* dictum cujuſdam Janſeniſtæ cum multo horrore profert, teſtimonio docti Capucini, aliorumque rumore aſſertum.
a. Verba ipſa RAYNALDI (*a*) recitabo: *Aude*, inquit, *calame, nec alienam ſive exoculationem, ſive rabiem committere chartæ refuge. Dixit comminans pro damnato Janſenio furens, ac rabiens ejus alumnus: aut perdemus eccleſiam, aut perdemus Jeſuitas.* Jeſuitæ diu muti ad objecta crimina non fuerunt, tandem tamen generali conventu decreverunt ſilentium ad

(*a*) In ſuo ARNALDO redivivo. c. 5.

ad omnes accuſationes, ſi fides CONRINGIO hoc atteſtanti habenda ſit. Tela potiſſima e portu regio, ejusque familiaribus vibrata ſunt: hinc etiam monaſterium iſtud inviſum Societati JESU. Averſationem hanc WENDROCHIUS (*a*) multum exaggerat, ejusque cauſas profert: *Diu eſt*, inquit, *cum portus regii monaſterium omnibus modis oppugnant Jeſuitæ: cauſæ odii variæ: ſed illæ præcipuæ, quod illud a ſororibus Arnaldi, Angelica & Agnete diu gubernatum eſt, quod ſex Arnaldi ſorores cum ipſiusmet matre, & totidem Andillii fratris, tota Gallia notiſſimi, filiæ, ſacrum ibi velamen acceperunt: poſtremo quod ipſe Arnaldus diu in hoc monaſterio ſacerdotis & confeſſarii obiit partes.* ARNALDI pater HENRICO IV. rege cauſam contra Jeſuitas, ut Gallia exularent, advocatus egit, alio etiam libro in eorum famam debacchatus eſt. Noſter vero hic ARNALDUS, ſcriptis multis celeberrimus, ſed Janſeniſticæ doctrinæ, imo ſi nonnullis ſcriptoribus fides, ſyſtematis Janſeniſtici ex AUGUSTINO ante libri Janſeniſtici editionem aſſertor, veterum canonum, antiquæque diſciplinæ cumprimis in agenda pœnitentia, ultra modum zelo abductus, varia expertus eſt fata, tandem extra patriam pro-

(*a*) Not. III. in Epiſt. 16.

Digitized by Google

profugus obiit. Liber ejus de frequenti communione cumprimis eſt celebris, approbatus ille ab integro ſexdecim epiſcoporum, archiepiſcoporumque conventu, ac compluribus theologiæ doctoribus, mirisque laudibus celebratus, quæ legi poſſunt non ſolum in ſingularibus approbationum formulis, ſed etiam in nonnullis epiſtolis ad ſummos Pontifices URBANUM VIII. & INNOCENTIUM X. nomine prædicti epiſcoporum conventus datis, in quibus librum, librique auctorem etiam atque etiam commendant, atque ab adverſariorum, præſertim epiſcopi Vaurenſis inſultu, qui ejus proſcriptionem apud ſummam ſedem urgebant, tuentur. ARNALDUM hunc doctiſſimum fuiſſe ejus opera loquuntur, ei pietatis colorem, morum ſeveritatem, vivendique auſteritatem ipſe RAYNALDUS, dum eum ſcripto inſequitur, tribuit. Fuit is omnium acerrimus Rigoriſmi, maxime circa diſciplinam veterem in uſu Sacramentorum Euchariſtiæ & Pœnitentiæ reſtituendam, ſtator: ante eum jam 1638. *Libertus* FROMONDUS amicitia JANSENII notus LOVANII propoſitiones quasdam vulgavit, quibus ad morum normam nullam opinionem probabilem ſufficientem aſſeruit, teſte CARAMUELE ſuo in Apologe-

logetico. *Joannes* SINNICHIUS opere inſcripto *Saul Exrex* eandem ſententiam ſtabilit: in hunc cenſum etiam *Antonium* MERENDAM referunt. In manibus item ſtudioſorum theologiæ teruntur, qui propius ad hunc Rigoriſmum accedere aliquando cenſentur, veterum canonum, ac diſciplinæ revocandæ prætextu: qui vero alios his antiquiores theologos a Tutioriſmo purgatos, excuſatosque vult, adeat P. *Thyrſi* GONZALEZ de recto uſu opinionum probabilium diſſert. X.

Prætextu antiquos canones, & diſciplinam reſtaurandi.

VII. Eſt hoc commune his omnibus, ut antiquarum conſuetudinum, legumque ſtudio pœnitentiæ modum, ac morum cenſuram hodiernam devoveant, ac ſusque deque vertere annitantur; qua in re vituperandi non eſſent, ſi ſpectabilem antiquæ eccleſiæ formam, morum & diſciplinæ ſanctitatem fidelibus populis commendatam dum cupiunt, modum non excederent, nec privatæ potius factionis opera, quam legitimæ auctoritatis amplitudine uterentur. Secus majora mala pertimeſcenda ſunt, ut accidit revera, dum præparationis cauſa peccatores more veteri a communione arcendos putarunt. E celebri urbe relatum habeo, hoc argumento facile Janſeniſtas, quos vocant, a cæteris dignoſci,

Digitized by Google

gnoſci, quod Sacramenta vix illi frequentent. Conſuetudinem iſtam plurima mala ſecum trahere facile quivis conjiciet, ſi, prout mores ſunt hodie, quis velit ſerio ſecum perpendere: plures enim acediæ, neglectus ac contemtus ſacrarum rerum, quam pietatis cauſa a Sacramentis abſtinebunt, & paulatim omnis religionis, devotionisque ardor defervefcet. Qui Rigoriſtarum hac in re mentem accuratius noſſe cupit, Arnaldi de frequenti communione adeat librum, qui totus in hoc argumento eſt, omnemque movet lapidem, ut præſertim epiſcopos ad reſtaurandam veterem pœnitentiæ diſciplinam incitet. Hoc antiquos canones, diſciplinæque rigorem reſuſcitandi ſtudium, maximum cauſæ ſuæ firmamentum ac propugnaculum in venerandæ antiquitatis exemplo ponunt.

Cum Moralis chriſtianæ detrimento, dum etiam æqua morum cenſura, æquique cenſores in ſuſpicionem

VIII. Quamvis autem vituperandi haud fuiſſent in eo, quod morum corruptelas, quæ doctrinam ipſam moralem & diſciplinam pœnitentiæ invaſerunt, fuerint inſectati; tamen qui ſpiritu factionis, ac vindictæ potius, quam ſtudio veritatis animati hoc fecerunt, fieri aliter haud potuit, quam ut juſtos excederent fines in alterum prolapſi extremum: ſub ſpecioſo revocandæ veteris

teris diſciplinæ prætextu introducto rigore intolerabili. Qua ratione non ſolum prodeſſe nihil poterant cauſæ etiam bonæ de integritate, ſanctitateque morum, ac doctrinæ moralis chriſtianæ, verum etiam exoſam eam, ac ſuſpectam reddiderunt. Accidit enim, ut etiam juſtum moderamen a doctis & piis hic ſuſceptum in ſuſpicionem Rigoriſmi ab adverſa factione traheretur. Sic P. *Antonius* TERILLUS, acerrimus Probabiliſmi defenſor, poſt CARAMUELEM non veretur Probabilioriſmum, in quo vergit æqua morum cenſura adverſus Rigidiorem & Remiſſiorem, hic in partes trahere atque adſtruere, *Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ Probabilioris*, ut in præfatione ſui de Conſcientia operis loquitur. Audet provocare Antiprobabiliſtas omnes, ut unum proferant theologum, qui ante JANSENIUM ſententiam magis probabilem, quam ipſe rigidam vocat, defenderit, dum benignam ſemper obtinuiſſe vult perſuadere. *Atque hic ego provoco adverſarios*, inquit (*a*), *ut vel unum ex antiquis afferant, qui unanimem hanc Gerſonis, Nyder, S. Antonini, Conradi, Sylveſtri, aliorumque ſententiam ex profeſſo impugnarit. Si aliquem inve-*

Rigoriſmi ſunt tracti.

a.

(*a*) TERILLUS, Tract. de Conſcient. q. 22. n. 123.

nerint, fatebor, rigidam ſententiam eſſe Janſeniſmo antiquiorem, a priſcis agnitam, & ab aliquibus ſaltem approbatam. Quodſi neminem invenerint (certum autem eſt, eos neminem reperturos) deſinant in meridiana luce cæcutire, & aperta veritate convicti tandem fateantur benignam ſententiam ſemper in eccleſia viguiſſe: rigidam vero ante Janſenium nunquam fuiſſe auditam. Suo paulo poſt loco patebit, vice verſa hoc de Probabiliſmi novitate dici debere. Nunc illud tantum obſervo, detrimento æque morum cenſuræ accidere, atque æquorum cenſorum in morali chriſtiana, ut Rigoriſmi ſuſpicione infamentur, & a regulis ſanis doctrinæ chriſtianæ avocentur chriſtianorum mentes ac ſtudia. Quod contigit, dum in Rigoriſtarum numero recenſentur celeberrimi quique theologi, qui de morali chriſtiana optime ſunt meriti: e. g. *Natalis* ALEXANDER, PAULUS *de Lugduno*, ANTOINE, GILBERTI, PONTAS, JUENIN, ipſe illuſt. GENET, cujus Theologia moralis non ſolum applauſum maximum apud eruditos, verum etiam apud CLEMENTEM XI. approbationem commeruit; nihilominus Rigoriſmi notam, atque hinc Janſeniſmi ſuſpicionem incurrit, quam ad bibliothecam eam rejicit P. Do-

MI-

MINICUS *de Colonia*(*a*). Non ego in omnibus recenſitorum auctorum defenſionem ſuſcipiam. Selectu & judicio opus eſt in æqua morum cenſura non ſolum auctorum, verum etiam ſententiarum ſingularum in auctoribus modernis theologiæ moralis, dum in varias abeunt ſententias in deciſionibus, quæſtionibusque controverſis. Nec ſtatim quis Rigoriſmi, multo minus Janſeniſmi accuſandus, dum rigidiorem quandam alicubi tuetur ſententiam, aut invehitur in remiſſiorem morum doctrinam. Quod recte præſules Gallicani caverunt, atque quid ſit hic agendum declararunt, non ſua tantum, ſed etiam pontificia auctoritate. *Neque*, ajunt in decreto concilii nationalis Gallicani an. 1700. *propterea tolerari volumus importunos, ac malevolos homines, qui viris bonis, doctisque & eccleſiaſticæ rei ſtudioſis vagam, & invidioſam Janſeniſmi accuſationem inferunt, eo quoque nomine, quod morum corruptelas acriter inſectentur: cum nos pro candore & æquitate epiſcopalis ordinis neminem pro ſuſpecto habituri ſumus, niſi eum, qui aut conſtitutionibus apoſtolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propoſitionibus tueatur: quod etiam ab anteceſſoribus noſtris ſæpe ſancitum, & regia auctoritate firmatum,*

B 2

(*a*) T. I. Biblioth. Janſeniſticæ n. 71.

tum, *&* *ab optimo maximoque Pontifice Innocentio XII. applaudente tota eccleſia conſtitutnm eſt.* Inde haud dubie cl. P. *Daniel* CONCINNA (*a*) ſequentem Rigoriſmi concinnavit definitionem: eum nimirum conſiſtere in docendo aut defendendo rigidam quandam propoſitionem moralem directe aut indirecte a Sede S. damnatam. Contra *Baltaſar* FRANCOLINUS eos nobis etiam ab habitu & principiis deſcribit tum alibi, cum in clerico ſuo Romano mox in inſcriptione, ſeu dedicatione facta clerico Romano, hæc tria eorum potiſſimum notans principia: *Patres jactare plurimum: pontifices æſtimare parvi: recentiores theologos nihili.* Salſe eos cum Phariſæis comparat, atque etiam nominatim perſtringit tum alibi, cum in FRANCOLINO vindicato ex Gallis *Bonum* MARBESIUM, *Gaſparum* JUENIN, *Antonium* ARNALDUM: ex Belgis *Gummarum* HUIGENS, *Macarium* HAVERMANS, *Ægidium* GABRIELIS, *Joannem* OPSTRAETE.

CAP. II.

(*a*) Diſſert. I. della Storia del Probabiliſmo & del Rigoriſmo Cap. VI. §. 4. n. 13.

Digitized by Google

CAPUT II.

Planior & explicatior ex fontibus relatis redundans Rigoriſmi adumbratio, quoad mores chriſtianos ſpectat.

I.

Tria Chriſtianiſmi capita JANSENIUS, & ejus poſtea fautores laceſſiverunt: fidei dogma in quinque propoſitionibus damnatis: diſciplinam in variis capitibus, quæ ſequenti paragrapho attingemus, quantum attinebit ad Rigoriſmi explicationem: nunc de eorum morali doctrina, quod eſt tertium, agemus. Quo ſuo errore, licet multas turbas in eccleſia ſuſcitarint; id tamen etiam commodum & utilitatem, DEO clementiſſime ordinante, attulerunt, ut caſuiſtarum illorum petulantiæ frenum injecerint, qui propriæ innixi prudentiæ, rationisque ductui, ſcriptura, ſanctorumque Patrum lectione neglecta, ipſaque evangelica norma poſthabita, legibus voluntati, voluptatique ſubjectis paſſim turpiſſima uſuræ, ſimoniæ, furti, duelli, homicidii crimina cohoneſtarunt, de quo poſtea tractandum nobis erit. **Janſeniſtæ licentiam, remiſſionemque doctrinæ moralis cohibere ſtuduerunt.**

II. Illud vero Probabiliſmi commentum, dum, quemadmodum jam notavimus, maxime exagitarunt Rigoriſtæ, in con- **An certam veritatem, aut hac deſi-**

ciente magis tutam ſententiam Rigoriſtæ morum regulam requirunt ?

trarium delapſi ſunt errorem, ut fieri ſolet, ſi qui ad controverſias tractandas non ex præſcripto eccleſiæ, ſed contentionis, odiique ſtimulis concitantur. Sunt igitur Rigoriſtæ ejus ſententiæ, a peccato ſolam liberare veritatem: ex quo conſequitur, opinionem probabilem ſatis nos ſecuros non præſtare, niſi ſit in ſeipſa vera. Eum, qui ex opinione probabili operetur, dubium neceſſario eſſe, putant, debere, hoc ipſo quod certus non ſit; in dubio autem tutiorem partem eſſe eligendam. Et cum opera noſtra veritate, fideque dirigenda ſint, ſi agendarum rerum regulæ falſitate laborent, a peccato immunes nos haud reddere exiſtimant, juxta illud apoſtoli: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quod Pauli dictum, ajunt, ſi etiam de conſcientia intelligatur, de ea, ut fidei moderamini ſubſit, ſumendam eſſe: quam ergo fides abeſt a falſitate, tantum probabilitatem, ſi forte ei falſitas ſubſit, alienam eſſe a vera regula operum veritatis: nunquam autem liquere, an judicio probabili falſum ſubſit: itaque probabile ex ſe nullam poſſe eſſe honeſti actus regulam. Ita illi. *Quare,* inquit

1. Wendrochius (*a*) *tuta & licita via idem prorſus eſt, nec tutum eſſe poteſt de quo dubitatur,*

(*a*) In Epiſt. V. Montalt. N. 1. S. 7.

bitatur, an ſit licitum? Ob id omnem opinionem exoſam habent, & peſſime deſcribunt: ARNALDUS(*a*), *Opinari*, inquit, *apud Latinos ſignificat diſpoſitionem animi inconſulte de rebus incertis judicantis, arbitrantisque ſe ſcire, quæ neſcit.* In horum igitur ſententia, quoties explorata veritas non habetur, id quod tutius, eſt amplectendum. *Samuel* RACHELIUS(*b*) ex numero Novatorum in Examine Probabilitatis Jeſuiticæ eandem init viam. *Etſi enim*, inquit, *formido oppoſiti, quam conjunctam habet opinio, non ſit ſemper realis dubitatio, nihilominus tamen peccatur.* Agit quidem eo loci de probabili opinione, quando concurrit cum certa oppoſita: qua in re, quemvis facile conſentientem habet, niſi paucos deterioris notæ molles caſuiſtas; cum, ubi habetur veritas, contrarium omni robore excidat, neceſſe ſit. Sed non ita multo poſt ad omnem probabilem opinionem eandem aptat regulam: imprimis enim clare ſtatuit, opinionem probabilem falſam in praxi uſurpatam a peccato neminem penitus abſolvere: & conſcientiam probabilem tali in caſu ab erronea, quæ a peccato non excuſet, non diſtinguit. *Proinde*, inquit, *ſi de actione ali-*

(*a*) Cogit. P. I. c. 3.
(*b*) Ex. Prob. c. 9.

qua deliberes, & intellectus tibi ſuggerat utriusque generis probabiles rationes, prudentia te obligatum eſſe oſtendet, ut tutiorem licet minus probabilem opinionem ſequaris, propterea, quod non ſolum peccatum, de quo penitus conſtat, ſed etiam periculum, & occaſio peccandi evitari debeat, ne in ipſum peccatum conſenſiſſe, tuave culpa te præcipitaſſe videri queas. Ex his liquido conſtat, Rachelium conſpirare cum Rigoriſtis: fortaſſis in eo diſſidet, quod is multas in rebus moralibus paſſim dicat dari demonſtrationes, cum Janſeniſtæ, ſi in ſuis de corruptione naturæ humanæ conſtare ſibi velint aſſertis, lumini rationis parum tribuere poſſint.

Non opus eſſe ſemper certam veritatem, aut inter controverſas magis tutam ſequi, ſed majoribus rationibus fultam.

III. Contra hæc omnia theologi magno conſenſu docent, probabilem etiam conſcientiam operanti tribuere ſecuritatem: cum paucorum admodum actuum honeſtas, aut malitia judicio prorſus certo cognoſcatur, etiamſi non ſolum theologorum labores, ſed etiam philoſophorum, maxime eorum, qui ad mathematicam acribiam revocare contendunt Ethicen, ſpectentur: tot & tam variis in ſingularibus actibus concurrentibus circumſtantiis, ut raro fieri certum judicium poſſit, cui nulla amplius ſubſit formido. Volumus autem probe

diſtingui

diſtingui formidinem ab hæſitatione, ſeu dubio, quæ duo Rigoriſtæ immerito confundunt: dubius is eſt, cujus animus anceps pendet, nec in utram partem vergit; formido autem de oppoſito ſemper adeſt, quando de re aliqua certa ſcientia & demonſtratio non habetur: quamvis aſſenſus non excludatur in eam partem, quæ intellectui magis probatur, ac veriſimilis eſt ob tanto majora rationum momenta, quæ ſatis ſint, ut ad formidinem oppoſitam non attendamus, eamque ceu ſcrupulum contemnamus: quod prudenter ſemper facimus, quando rei aſſentimur, abjecta judicii ſuſpenſione: tunc autem id recte fit, quando pondere, uti jam dictum eſt, rationum in unam potius, quam alteram reclinamur partem; niſi academici, Pyrrhonicique audire velimus. *Cum his igitur agamus*, utar verbis CICERONIS (*a*), *qui hæc diſtinguunt: illos, qui omnia ſic incerta dicunt, ut ſtellarum numerus, par, an impar, neſciatur, quaſi deſperatos aliquos relinquamus.* Non tamen obeſt, quin id ipſum opinionis judicium, quale deſcripſimus, dici poſſit moralem quandam præſeferre certitudinem. *Patet*, inquit in hanc rem GERSON (*b*), *quia certitudo* a. b.

B 5

(*a*) In LUCULLO.
(*b*) Tract. de Celebr. Miſſæ.

titudo moralis compatitur ſecum vacillationem quamdam animi, aut hæſitationem quamdam, vel ſuſpicionem, ſeu ſcrupulos.
2. Quæ verba refert *Tyrſus* GONZALEZ (*a*) opere jam laudato, ubi alia non ſolum GERSONIS, ſed aliorum etiam theologorum adducit teſtimonia, ex quibus confirmetur, majorem probabilitatem, ſi ſit notabilis ac manifeſta, moralem efficere certitudinem, prudentemque a nobis aſſenſum elicere, nec temerarium, utpote præſtantibus rationum argumentis præſtitum: præterea oſtendit, eos qui ſecus ſentiant, reddere theologiæ ſtudium inutile, eoquod doctores fruſtra tum defendant ſententias minus tutas, & contendant argumentis eſſe veras: cum quamvis etiam obtineant, ut ſua ſententia appareat probabilior oppoſita, raro tamen aſſequi id poſſint, ut appareat evidenter vera: multa item alia abſurda ex contraria opinione accumulat, quæ in ſacramentum Pœnitentiæ redundent: repugnareque fragilitati humanæ, ſuavitati divinæ providentiæ, ſacris litteris, SS. Patribus, communi perſuaſioni, uſui, & Catholicorum omnium doctrinæ, ſenſuique communi oſtendit, ac eos refellit, qui declinare ab ea damnationem Pontificis contendebant,

(*a*) De recto uſu Op. Prob. L. 10.

bant, Alexandri nimirum VIII. fulmen in eam propoſitionem, qua non licere aſſeritur ſequi inter opiniones probabiles probabiliſſimam, quaſi hanc Rigoriſtarum ſententiam non tangeret, qua aut certam aut tutiorem ſectandam dicunt viam. Eleganter mea ſententia illuſtr. Wolffius (*a*) rationem ediſſerit, a.
qua nos conſcientia excuſet, ſi actioni ex probabilibus ſolum momentis factæ, forte falſitas adhæſerit. *Etenim*, inquit, *etſi perpetrata actione conſtet, quod falſum fuerit de actione perpetranda judicium, quoniam tamen nobis impoſſibile fuit ad veritatem liquidam pertingere, & actione perpetrata per ea, quæ nobis, antequam patraretur, innotuere, adhuc judicamus, quod probabilius fuerit noſtrum de actione patranda judicium, quam eidem oppoſitum: conſcientia conſequens eadem eſt cum antecedente, quatenus de probabilitate antecedentis quæſtio eſt.* Quodſi igitur adhibita neceſſaria diligentia veritas certa obtineri nequeat, & homo nullis præjudiciis occupatus, nullis malis affectibus abreptus aliquid licitum ſibi judicet, infirmitati humanæ condonabitur, ſi minus rectum judicium latum fuerit. Ex naturæ enim noſtræ corruptione accidit, ut multarum rerum veritatem aſſequi

(*a*) Philoſ. pract. univ. P. I. §. 466.

Digitized by Google

qui nequeamus, quantumcunque etiam operæ & laboris ei indagandæ navaverimus. Quodſi igitur omnium rerum certam cognitionem, aut rectam normam etiam præter noſtram culpam a nobis requireret DEUS, opus fuiſſet, claram & apertam morum omnium legem tuliſſet, ac canonem præſtituiſſet, nec rerum certitudinem tantis ambiguitatibus implicatam reliquiſſet. Quod de juris illa regula addunt, nec nos refragarios habent, ultro enim damus, in dubiis tutius eſſe eligendum; id pernegamus, ſemper verum exiſtere dubium, quoties non exploratam aſſequimur veritatem, prudens tamen opinandi facultas adeſt, quod res controverſa magis ad veritatem accedat, quam ab ea abſit; ut hinc deponere dubium, & excutere adverſæ partis formidinem æquum ſit: licet aliqua adhuc reſidua maneat obſcuritas. Tunc enim altera locum habet juris regula: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius.* Atque ſic decernendum eſt, niſi omnem opinionem, contra communem perſuaſionem, e rerum natura exulare velimus. Equidem verum eſt, quamvis opinionem conjunctam ſemper ſecum habere falſitatis formidinem; ſed ea ipſi judicio noſtro non adhæret, nec noſtra culpa adeſt, ſed rei ob-

obſcuritate, & ignorantiæ caligine mentibus noſtris offuſa, quando eam depellere in viribus noſtris poſitum non fuerit poſt diligentem gnavamque veritatis inquiſitionem, non a nobis ipſis factam ſolum, ſed ab aliis etiam, qui pietatis, & doctrinæ laude conſpicui in ſtatuendis morum regulis deſudarunt, nec tamen certi aliquid hactenus in medium afferre potuerunt, ut non aliis aliter rem ſe habere viſum ſit: id quod accidit, quoties ſibi adverſantur doctorum, qui hoc nomine digni ſunt, opiniones.

Rigoriſtæ quatenus ignorantiæ etiam invincibilis peccata nobis imputanda doceant.

IV. Opportune proxime dicta nos ad errorem de ignorantia deducunt: committi multa ab hominibus ignorantiæ peccata extra dubium poſita res eſt, ſolus PELAGIUS, & nonnulli BERNARDI ævo hoc inficiari ſunt auſi: adverſus quos S. BERNARDUS *Is forſitan*, ait, *qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantiis deprecatur, ſed potius prophetam irrideat deprecantem, & dicentem:* Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. *Forſitan & reprehendet DEUM exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem &c.* Hæc in confeſſo ſunt apud omnes: ut adeo calumniam eorum morari non debeamus, qui Pelagianiſmi totas chriſtiani orbis ſocietates accuſant,

Digitized by Google

ac ſi ignorantiæ peccata nulla eſſe exiſtiment. Solummodo enim vincibilis, & invincibilis ignorantiæ accuratam diſtinctionem faciunt, & quænam culpæ deputetur, declarant adverſus errorem eorum, qui ignorantiam omnem noxiam ſtatuunt, *Quid ex his omnibus*, verba ſunt
a. MONTALTII (*a*) *efficitur, illud nimirum, neque ſceleratos, neque pios, quoties peccant, hanc notitiam, hæc deſideria habere, hos inſtinctus, id eſt, non ſemper habere gratiam actualem. Non igitur cum illa recentiorum turba dixeris peccari non poſſe, ſi ignoretur juſtitia, ac cum Auguſtino potius, & antiquis, neceſſe eſſe ut peccet a quo ignoratur juſtitia.* Vides hic nullam diſtinctionem ignorantiæ peccatorum admitti, atque juſtos, & facinoroſos pares etiam fieri in his peccatis: cum tamen longe alia horum, quam illorum ſit cauſa, ſi ignorantes peccent: illi enim ſalutis ſuæ ſolliciti nihil eorum omittunt, quæ ad negotium ſalutis pertinent, quare, ſi inſcios offendere contingat, extra culpam ſunt. Peccatores incurii, cupiditatibus excæcati culpa propria ignorantiam contrahunt, aut lumen a DEO, lucernamque pedum ſuorum precibus non expetunt: tamen pariter his & illis peccata ignorantiæ noxæ tribuunt Rigo-

(*a*) Ep. 4. ad BROV.

Digitized by Google

Rigoriſtæ. (*a*) *Peccant igitur aliquando*, verba MONTALTII recito, *per ignorantiam juſti, imo excellenti ſanctitate præditi vix aliter quam per ignorantiam peccant.* Parum eſſet, ſi juſtos aliquando ob externam legis cognitionem non affulgentem ignorantes peccare dicerent: etiam interiorem deficere gratiam volunt, nec a peccato excuſant, ſi ignorantia juris qualiscunque intercedat, non facti, hanc enim ſolam voluntariam non eſſe aliquando concedunt. *Diſce*, inquit MONTALTIUS (*b*), *cujusmodi ſit ea ignorantia, quæ noſtras actiones involuntarias efficit: diſce, inquam, non aliam eſſe, niſi circumjectorum accidentium, quæ a theologis ignorantia facti dicitur.* Ignorantiam vero juris naturalis & divini quamcunque voluntariam homini ſciſcunt, atque in ea re auctoritate præſertim S. AUGUSTINI gloriantur, ſed immerito. Aliter tamen in hac re de ignorantia juris humani ſentiunt, quam excuſabilem dicunt. a. b.

V. Atqui hoc ipſum eorum cauſam funditus evertit. Si enim ignorantiam juris naturalis in remotioribus quibuscunque concluſionibus, cujusque ſtatum attinentibus, itemque juris divini, excuſare idcirco non admittunt, ut ſuperius

Ignorantiam invincibilem cujusque juris a peccati labe excuſare

(*a*) L. c. (*b*) L. c.

Digitized by Google

contra Rigoriſtas aſſeritur.

rius vidimus, quod certa veritas ſit retinenda, aut ubi ea haberi nequit, tutius ſequendum incumbat; idem de humanis legibus ſtatuere debent, quas ſi per ignorantiam transgrediamur, æque rectam viam, veritatemque præterlabimur, ac in divinis & naturalibus præceptis. Si ad ignorantiam invincibilem hic recurrunt, etiam ibi faciant oportet, ſi ſibi conſtare velint: deinde ob ignorantiam facti DEUS homini peccatum non imputat, ut largiuntur, e. g. ſi quis nihil cogitans accedat ad non ſuam. Quidni ob ignorantiam juris æque invincibilem excuſatus quis ſit? Reponent, non dari ignorantiam juris earum rerum, quibus intrinſeca adhæret malitia, ut ſi viribus naturæ corruptæ vinci etiam non poſſit, gratia tamen vincatur, quæ ſi non adſit, a DEO precibus, inceſſantibusque ſuſpiriis ac gemitibus ſit obtinenda eo dicente, *petite, & accipietis*: cum DEUS facienti quod eſt in ſe, ſecundum commune effatum, non deſit gratia; aut igitur, qui ignorantes peccant, recte non orare, aut culpa ſua ignorantiam vincibilem quam vocant, *in cauſa*, effeciſſe, cujusmodi ignorantiæ accuſat gentiles S. Paulus, naturæ ordinem, inſtinctumque pervertentes. Verum enimvero etſi DEUS eos, qui ſe indignos gratia

non

Digitized by Google

non faciunt, quales juſti ſunt, nunquam gratia deſtituat; hac tamen in re miraculis non ſemper utitur, nec communem rerum curſum pervertit. Quare evenit, juſtos etiam, qui nihil reliqui facere videntur in ſtudio ſalutis, neque ſegnes in imploranda gratia illuſtrationis fuerunt, non tamen rectum ſemper incedere tramitem, aut veritatem aſſequi ſive alios docendo, ſive actionibus & officiis propriis perfungendo. Exempla hujus rei complura ſuppetunt, cum viri ſanctiſſimi etiam in naturæ legibus non ſolum contrarias opiniones foverint, ſed etiam contrarias actiones ediderint, quin culpæ ipſis hoc datum ſit, aut neceſſitas fuerit, ut modis extraordinariis DEUS errantes veritatem edoceret, licet illi credantur feciſſe, quod fuit in ſe: nempe *invincibilis* ignorantiæ excuſatio aderat, qua factum, ut peccati ſolum materialis periculo expoſiti eſſent, quod nec conſcientiam, nec DEI amicitiam læderet; adeoque nihil opus fuerit, miraculo veritatis manifeſtationem præſtari, quando a falſitate nihil mali imminebat. Aliter ſe perſæpe res in impiis & peccatoribus habet, qui ſua culpa & deſidia, quæ ipſorum noſſe intereſt, ignorant: qui nolunt intelligere, ut bene agerent: qui ob ſpretas di-

Digitized by Google

vinas gratias iis ſe indignos præſtant, neceſſariaque Numinis auxilia ac lumen, quo in via Domini dirigantur, implorare non curant, quos excæcat malitia: hi certe a ſua ignorantia nullum exſpectare poſſunt commodum. Haud ſecus ac omnes illi, penes quos ſtetit, quibusque facultas aderat, ſcientiam viarum Domini comparandi, culpa non vacant, ſed vincibili ignorantia laborant: aut qui ſe ultro rebus ingerunt, ad quas recte obeundas neceſſariam ſcientiam, aut negligentia, aut naturæ vitio non afferunt. Talem ignorantiam ſecernere oportuiſſet, ab ea illorum, qui nihil omittunt ad eam pellendam, prorſusque invincibilem habent.

Nimiam ſeveritatem ad reſtituendam morum probitatem, integritatemque magis obeſſe, quam prodeſſe.

VI. Quis non videat, hac tam ſevera morum cenſura homines in deſperationem agi, dum animo ſecum repetunt, quantumcunque etiam ſtudium, & diligentiam ad negotium ſalutis afferant; nihilominus periculum æternæ damnationis non evadere, ſi non certa & tutiora ſemper conſectentur. Quantis anxietatibus pii quique excrucientur, ſi tutius, ubi explorata veritas non affulget, ſit proſequendum, cum tam incerta omnia ſint, vires humanæ mentis ad aſpectum veritatis tam debiles & exiguæ? Quoties enim quis viderit auctores non

omnes

omnes in eandem ſententiam conſpirare, aut ſi etiam hoc ſciat, ipſi tamen ſcrupulus aliquis, ac formido levis occurrat de rei, actionisque cujusdam honeſtate, ab ea abſtinendum ducet. Quoties levis aliqua ſuſpicio ſuggeſta fuerit de obligatione quadam, quantæcunque multo urgentiores in contrarium pugnent auctoritates, ſolutus non erit, nec liber. Quot emergent caſus, quibus ſummæ difficultates ſe aggerant, maximæ perplexitates turbent, vani timores, terroresque inquietent! Unde ſublata ſemel animi tranquillitate, mentisque ſerenitate, acedia, divinarum rerum nauſea, laborum tædium exagitabunt, hominemque ab officio abducent, deterrebuntque; nec diabolus feriabitur, ſi quid ad animum penitus dejiciendum operæ conferre valeat. Contra hos novos Phariſæos, qui *alligant onera gravia & importabilia*, & *imponunt in humeros hominum*, ſcriptura per ſapientiſſimum poſt homines natos Eccleſiaſten munit, ſalutariterque commonefacit: (*a*) *Noli eſſe* a.
juſtus multum, neque plus ſapias, quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas. Eos etiam graphice depingit S. Ambrosius (*b*): *Sunt*, b.
inquit, *etiam in nobis, qui habent timo-*

(*a*) Eccl. VII. 17.

(*b*) In Pſal. CXVIII. Serm. 5.

rem DEI, ſed non ſecundum ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere, timor in eo eſt, quod videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere, ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem. Hæc AMBROSIUS eo tempore ſcripſit, quo adhuc longe purior fuerat chriſtianorum morum candor: nolim hinc velificare ei, quæ hodie viget, morum corruptioni, nec diffiteor, maximum eſſe apud homines honeſtatis neglectum, chriſtianarumque virtutum, ac evangelicæ vitæ exiguum ſenſum: ſed an ideo nunquam audita in chriſtiano orbe morum regula conſtituenda? Refriguiſſe charitatem, quod futurum his noviſſimis temporibus a Chriſto prædictum eſt, nemo diffitebitur, ſi noſtra hæc tempora, noſtros mores cum antiquis contulerimus; & quis ſit, qui non antiquam vitæ ſimplicitatem, ſanctitatemqne ſummis votis poſtliminio quaſi revocet, ſed ad hoc opportunis remediis utendum, non exaſperatis, inauditisque vitæ regulis, quibus homines animos magis deſpondeant, deterreanturque, quam ad rectam lineam reducantur.

CAP. III.

CAPUT III.

De Rigoriſtarum doctrinis ad diſciplinam eccleſiaſticam attinentibus.

I.

Janſeniſtarum de Religioſorum miniſterio in Rigoriſmi commodum doctrina.

Studium ac zelus antiquas conſuetudines, & diſciplinam reſtaurandi, quo Rigoriſtæ importune exarſerant, hic etiam per multa ſingularia placita ſeſe prodidit. Ex illis aliqua ſunt, quæ huc non pertinent, hinc a nobis omittentur; alia contra ad hunc locum revocanda, quamvis primo obtutu nihil cum rigore aliquo commune habere videri poſſint. Ex horum numero duas quæſtiones attingemus de Religioſorum in hierarchia loco & cultu B.mæ Virginis. Argumentum de Hierarchia præcipue abbas Sancyranus VERGERIUS, ſub nomine *Petri* AURELII, ARNALDI amicus ſingularis, pertractavit, ob hanc ſpartam a clero Gallicano multum laudatus. Et cui in animum veniret, etiam ad Rigoriſmum propagandum aliquod hac in materia ſubeſſe præſidium & fomentum? Nimirum occaſio captata eſt, Religioſorum in ordine hierarchico præſertim Jeſuitarum locum, & perfunctiones carpendi. *Hoc eſt totum*, verba RAY-

a. NALDI recito (*a*), *Arnaldi votum, exſcindere, & ſub jugum mittere Religioſos, antiquos canones pœnitentiales & ſacramentales ad praxin revocare, clerum ſæcularem dejecto monarchico faſtu ſuſtollere.* Quemadmodum ergo, ut ſuum JANSENIUM, quem deperibant, a cenſura ſervarent, Papæ auctoritatem deprimere ſtudebant; ita, ut praxin in ſacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ, aliaque conſuetudinum & diſciplinæ capita inducerent, opportunum conſilium judicatum eſt, Religioſos in ordinem redigere, atque ab officiis hierarchicis avocare, maxime Jeſuitas, quos ſatis noverant adverſaturos ſibi fore: cum religioſi ordines divino conſilio & providentia operarii ac ſubſidiarii in vineam Domini miſſi ſint, maxime in pejus abeuntibus hominum ſtudiis: atqui in conventibus religioſis adhuc, non ſolum veterum chriſtianorum, ac præcipue cleri forma in communitate bonorum, ac vitæ degentis cernitur, ſed etiam morum, vivendique ratio antiquorum chriſtianorum reſplendet ac conſervata eſt. *Certum eſt*, in-
b. quit FLORIUS (*b*), *ſanctos homines, qui regulas*

(*a*) ARNALD. Rediv. §. IV.

(*b*) Il eſt certain, que les Saints, qui ont donné des regles aux Moines, n'ont point cherché à introduire des nouveautez, ni à ſe di-

Digitized by Google

regulas pro monachis conſcripſerunt, nihil novitatis inducere affectaſſe: neque ſingularem vivendi rationem inſtituiſſe; quod hodie præter ordinem in monachis cernitur, mutationi adſcribendum, quæ in cæterorum hominum moribus invaluit . . . Oportet chriſtianos ſtudioſe ad ea, quæ in monaſteriis obſervantur, attendere, ubi moralis chriſtianorum doctrinæ viva videre licet exempla. Ipſum auctorem adi, plura dabit in hanc rem. Sed hæc fortaſſis extra ordinem dicta videantur, cum non vitam religioſam, ſed Religioſorum in aliorum vita moderanda modum redarguant: quod nimium licentiæ indulgeant, nec in pœnis infligendis canones ſequantur, ut proinde confeſſiones apud Religioſos factas ut plurimum pro ſacrilegis aut invalidis habeant. Eouſque etiam calumniandi ſtudio ventum, ut Mendicantium benignitatem, ſpei ac mercedi ſubſidii temporalis a pœnitentibus obtinendi tribuerent.

 II. In

ſtinguer par une vie ſinguliere. Ce qui fait paroître aujourd'hui les Moines ſi extraordinaires, eſt le changement, qui eſt arrivé dans les mœurs des autres hommes. . . Les chretiens doivent obſerver exactement, ce qui ſe pratique dans les monaſteres les plus regulieres, pour voir des exemples vivans de la morale chretienne &c. *M. Fleury Mœurs de Chretiens, n. 54.*

Digitized by Google

Nec non de cultu B. Virginis Deiparæ.

II. In illa de cultu B.mæ Virginis diſceptatione, præterquam quod laudem, quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ vanam aſſeruerint, non ſolum B.mam V. indiguiſſe purificatione, ſed etiam Filium, qui offerebatur in templo, macula Matris maculatum, fuerunt, qui dicerent: quod itidem, ut priores de Religioſis mendicantibus propoſitiones, ab ALEXANDRO VIII. damnatum. Quod vero ex hac materia attinet ad præſens argumentum, quo de Rigoriſmo tractamus, in eo potiſſimum ſiſtit, unde originem hæc diſputatio accepit. Offendit Rigoriſtas libellus P. BARRY *Paradyſus apertus*, quo auctor quibusdam officiis in B.mam Virginem obſervatu facilibus Paradiſum apertum pollicebatur. Officia illa pleraque in exiguis externis operibus continentur, quæ nihil opus eſt hic recenſere. Rigoriſtæ peti iſtis rigorem, auſteritatemque ſatisfactionum ac actuum interiorum neceſſitatem arbitrabantur: improbabant temerariam fiduciam impletione exteriorum quorumdam pietatis officiorum erga B. Virginem certam ſalutis ſpem pollicitantem, peccatoribus in iisdem ſordibus ac ſceleribus continenter manentibus. Hæc indigne ferentes extra metas, ut aliis in rebus, abrepti eouſque

prolapſi

prolapſi ſunt, ut merito impietatis in B. Virginem arceſſantur, ut ex ſuperius damnatis propoſitionibus patet. Eam vero cauſam, quam paulo ante indicavi, locum errori dediſſe, ex his MONTALTII verbis collige. *Periculoſe admodum*, inquit (*a*), *iis*, *qui hæc obſequia ſtudioſius uſurpant*, *de vita mutanda non laborant*, *ea inſeritur opinio*, *fore*, *ut vel in ipſo mortis articulo ad DEUM convertantur*, *vel mortui revocentur ad vitam*: *ſcilicet temeraria illa fiducia fovendis hominum fallaci ſecuritate flagitiis longe accommodatior videtur*, *quam eisdem per veram animi converſionem eluendis.*

III. Sed jam ad id, quod caput eſt, progrediamur, auſteritatem præſertim in ſacramentorum Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ adminiſtratione, prætenſa antiquorum canonum ac conſuetudinum ſpecie. Ut primum de Pœnitentia dicamus, unde ſponte ſua reliqua clareſcent, peregrinus omnino ſit in hiſtoria veteris chriſtianæ reipublicæ, qui neſciat, longe aliam pœnitentiæ olim obtinuiſſe diſciplinam. Qui veterum conciliorum, librorumque pœnitentialium canones, in quibus diverſorum criminum pœnitentiæ leges conſtituuntur, perlegerit, rei veritatem deprehendet.

Rigoriſtarum anniſus veterem pœnitentiæ formam reſtituendi immaturus.

C 5 Nemo

(*a*) Ep. IX.

Nemo eſt, qui non refrigeſcentem charitatem defleat, qui non Chriſti de noviſſimis temporibus oraculum agnoſcat. Concilium Tridentinum ſatis deſiderium ac votum ſuum reſtaurandi, ac in melius commutandi pœnitentiæ laborem prodiit, qui eo jam eſt delinitus, ut ipſa confeſſio maximum illius onus cenſeatur, quod a Novatoribus pro non ferendo incommodo habetur. Rigoriſtæ animadverſa hac in novo & vetere pœnitendi ritu diverſitate, longius, quam par erat, proceſſerunt. Palam enim conſuetudinem omnem adminiſtrandi ſacramenti pœnitentiæ ab eccleſia non pro uſu, ſed abuſu haberi, dicere auſi ſunt, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multa temporis diuturnitas confirmet: quod jure Alexander VIII. reprobavit. Conſiderandum enim fuerat, eccleſiæ miniſtros non judices ſedere ſolum, ſed etiam medici officio fungi, cujus ſit, cum morbi acerbitate, etiam ægroti vires, & conditionem attendere. Non privati cujusdam eſſe, Rigoriſtas cogitare oportuiſſet, aperte eccleſiæ diſciplinam in jus vocare, aliamque moliri. Hæc provincia iis relinquenda, quibus cura ovilis dominici incumbit. Non defuerunt his poſtremis etiam temporibus, qui ad di-

ſcipli-

Digitized by Google

ſciplinam collapſam erigendam animum adjecerunt, nec ſine ſucceſſu; ſed conſilio, prudentia & auctoritate res acta eſt, non ingenii tantum oſtentatione, aut carpendi ſtudio, quemadmodum a Rigoriſtis factum eſt, qui nihil intactum in tota pœnitentiæ praxi reliquerunt, quod non maledico dente proſcinderent. Non jam de eo loquor, quo privatorum non paucorum praxis haud immerito carpitur, ut hi contendunt, in confeſſione pœnitentis omnes actus nimis remiſſos, in abſolutione miniſtros eſſe plus æquo faciles ac credulos, in ſatisfactione benigniores, quam par ſit.

IV. De attritione, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, vix æquius ac Novatores ſenſerunt Rigoriſtæ, eam enim ſine dilectione benevolentiæ DEIque propter ſe, bonum motum ac ſupernaturalem eſſe negarunt. Aliud eſt præciſe, quando quæſtio eſt, an attritio nulla prorſus quam adjuncta DEI dilectione ſufficiens ad ſacramentum Pœnitentiæ præparatio ac diſpoſitio haberi poſſit? de qua opinione ALEXANDRI VII. extat ſcitum, ne quis ſive ajentem ſive negantem cenſura aliqua notare audeat. Aliter ſe res, de qua agitur, habet: latet hic ſub herba error: dum omnem humanam actionem delibera-

Singularia Rigoriſtarum placita in ſingulis Pœnitentiæ partibus.

tam,

tam, aut DEI dilectionem, aut mundi, & quodcunque non eſt ex fide chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operetur, malum eſſe volunt. Eſt hæc enim legitima ſucceſſio, ac veluti catena doctrinæ, cujus initio ſtatim diſſertationis fontes prodidimus, quatenus omnia opera peccatis deputant, quæ charitate imbuta illa non ſunt, quam ipſi gratiam unicam faciunt, ac in reconciliatione pœnitentis non initialem tantum, ſed ſuis numeris abſolutam adeſſe volunt. Quare jam nemini mirum videbitur, ſi Rigoriſtæ tanto conatu pœnitentiæ fructus, ſatisfactionumque perſolutionem requirant. *Non meris vocibus*, inquit
a. ARNALDUS, (*a*) *non vanis ſponſionibus ſacerdos certi quidpiam (quod quidem ſpectare & exquirere debet, quantum fieri humanitus licet) aſſequi poteſt de interna pœnitentium affectione, occultisque ſenſibus, quos in eorum animis ad abſolutionem præparandis gratia ingeneret neceſſe eſt. Factis perſpicuis pœnitentiæ ſolidis fructibus, veris vitæ emendatæ argumentis iſtud explorent oportet.* Quare iſti cenſent, eccleſiæ miniſtros pro peccatorum retinendorum poteſtate ſibi Chriſti ore commiſſa pœnitentem prius pœnitentiæ vinculis ligare debere, antequam eum reconciliando

(*a*) **De freq. Com. P. II. c. 12.**

do exolvant: tum ſatisfactionis impoſitæ operibus peccata expianda eſſe, priusquam ad reconciliationem & ſacramentorum uſum adeatur: contrarium uſum etiam erroris inſimulare ARNALDUS (*a*) a. non veretur. *Theodorus*, ait, *Cyri epiſcopus hæreticorum Audianorum erroribus annumerat, eos crimina quidem peccatores confiteri juſſiſſe, ſed conſtitutis ab eccleſia pœnitentiæ temporibus omiſſis confeſſos ſtatim abſolviſſe, plenam ſibi ac ſummam quandam condonandorum peccatorum licentiam arrogantes. Jubent, inquit* (*b*), *unumquemque* b. *peccata ſua confiteri, deinde confeſſis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, ſicut eccleſiæ leges præcipiunt, ſed poteſtate condonantes.* Sed advertere debuiſſet ARNALDUS, aliud eſſe confeſſis dare veniam, propria poteſtate condonando nulla definita pœnitentia: aliud pœnitentiam imponere poſt abſolutionem demum perſolvendam. Prius error eſt Audianorum, poſterius praxis hodiernæ eccleſiæ. Quam conſuetudinem immerito damnat, ac ſi ea ad fovendam vitiorum conſuetudinem perniciofius nihil eſſet, & contra nihil aptius ad eam minuendam, quam ut ex Patrum more ad agendam aliquamdiu

(*a*) De freq. Commun. P. II. c. 8.
(*b*) THEODOR. hæret. Fabul. L. IV. c. 10.

Digitized by Google

diu pœnitentiam ablegentur, neque prius abſolvantur, quam veris vitæ emendatæ argumentis animi converſionem teſtatam fecerint. Qui mos ſi ad terrendos peccatores aliquid valet, atque ſic locum habet, promiſcue tamen ſi teneatur, ſecum complura incommoda fert. Contrarius vero uſus utilitates magnas connexas habet, ut jure in veteris diſciplinæ locum ſubſtitutus ſit: juſteque ab ALEXANDRO VIII. ambæ illæ propoſitiones confixæ ſint, quarum una aſſerebatur, ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxiſſe non politiam, nec inſtitutionem eccleſiæ, ſed ipſam Chriſti legem, & præſcriptionem: altera, quæ contendit, per illam praxin mox abſolvendi pœnitentiæ ordinem eſſe inverſum. Is error jam in *Petro* de OSMA damnatus, a novis Rigoriſtis reſuſcitatus eſt.

Nec non in ſatisfactionis operibus pro commiſſis peccatis.

V. Cum hac differendæ abſolutionis praxi arctiſſimam ſocietatem habet ſatisfactionum diuturnitas, acerbitasque, quæ in veteribus canonibus obſervatur, quamque tantum abeſt, ut damnet eccleſia, ut contra CALVINI calumniam deteſtetur, hanc antiquæ eccleſiæ laſcivo ore arrodentis auſteritatem; ſed duorum malorum minimum amplexa lenitate connivet, quod duritia exacerbaret. Nec

etiam

etiam idcirco eorum remiſſam probat licentiam, in quos invehitur ARNALDUS, & jam a Concilio Trid. notati ſunt, qui leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungunt. *Pauculorum*, ut verbis ARNALDI utar, *pſalmorum recitationem pro compluribus blaſphemiis, & perjuriis : quaterna, quinaque ad ſummum ſextæ feriæ jejunia pro multis adulteriis : dominicam orationem quinquies revolvendam pro ſacrilegis communionibus, & cætera ad eundem modum.* Quam querimoniam ARNALDUS ſæpe repetit, antiquorum canonum obſervantiam obſoleviſſe omnino non ferens: quamvis non omnem, mitior quodam loco, eorum auſteritatem reductam velit, idque dicat, quod boni omnes peroptent: *Etſi*, inquit, (*a*) *priſcas legis eccleſiæ, antiquamque diſciplinam, qua vigente tot ſæculis eccleſia floruit, examuſſim ſequi, omnique ex parte revocare hoc tempore minus liceat, non continuo omnia illius delenda eſſe veſtigia.* WENDROCHIUS (*b*) ab ARNALDO, edoctus pariter, *Nec vero hoc*, inquit, *eo dico, quaſi totam priſtinæ eccleſiæ ſeveritatem cenſeam revocandam, cum id hujus ævi perverſitas omnino non ferat.* Quæ moderanda ſunt ab eccleſiæ paſtoribus, ad

a.

b.

(*a*) ARNALD. de freq. comm. P. II. c. 10.
(*b*) In Ep. X. Not. 1.

ad quos pertinet diſciplinæ emendatio, & ſi quid juvandi chriſtianos conſilii capitur, non hoc privata uſurpatione ſuſcipiendum, tam acri ac pertinaci contentione, atque exulcerato animo profundendum fuerat. Quis non ſummis laudibus proſequatur S. CAROLI ardorem ſummum pro collapſa reſtauranda canonum diſciplina? quis non alios pios ac ſanctos complurium vigilantiſſimorum epiſcoporum labores & conatus, ut corruptionis deteſtandæ licentiam, quæ in chriſtianum orbem invaſit, cohibeant: ſed omnia commodis & opportunis conſiliis, remediiſque agenda ſunt.

De frequentatione S. Communionis Rigoriſtarum mens.

VI. Totus quidem Rigoriſtarum conatus, & intentio, quare tantam pœnitentiæ, & ſatisfactionis ſeveritatem optabant, in ſanctiſſimum finem ad ſpeciem collimabat. Prætexebant dignam ad ſacramenta præſertim Euchariſtiæ præparationem. In iſtud toto de frequenti communione libro ARNALDUS omnes vires ingenii, ac eruditionis exerit. Captaverat occaſionem libelli cujuſdam refutandi, cujus auctor eos etiam, qui ſui ipſorum amore tument, ac ſæculo ſtupendum in modum addicti ſunt, ad frequentem, ac familiarem Chriſti in Euchariſtia latentis uſum idoneos cenſe-

re

re viſus eſt; neque unquam fuiſſe eccleſiæ uſum, ut pluribus diebus ante communionem pœnitentiæ incumberetur: eumque, qui ob reverentiam a communione ſecederet, non majorem ſanctiſſimo ſacramento cultum, honoremque deferre. Hic ſe opponens ARNALDUS probandum ſuſcepit, non modo eorum pietatem maximi faciendam, qui dum de reconcilianda cum DEO gratia ſerio cognitant, humilitatis, ac pœnitentiæ ſubſidiis aliquantisper ſeſe excolendi, comparandique cauſa, quo puriores ſe ad cœleſtem illam menſam, religioſioreſque comparent, ab Euchariſtiæ participatione ſubmovent; verum etiam laborandum eſſe, ut antiquæ eccleſiæ diſciplina redintegretur, qua pœnitentiæ actione ſuſcepta pluribus annis homines a communione ſeparentur. *Frequentiorem equidem communionem non damnat, ſed per juſtæ pœnitentiæ fructuum viam contendere hortatur*, inquit epiſcopus Laſcarienſis in commentatione Arnaldini libri de frequenti communione. Nimirum aliter cenſet auctor in divina eſca tribuenda tractandos, qui vel baptiſmatis ſanctitatem inviolatam ſervavere, vel peccatorum maculis pœnitentia condigna deletis ſecundam gratiam ſtudioſe tuentur ac retinent: aliter ſe rem habere

cum hominibus a lethali ægritudine tantum emergentibus; hos ad ritum veteris eccleſiæ tamdiu a communione arcendos vult, donec per tempus labores pœnitentiæ obeundo ſe ſatis paratos ad divinum cibum reddiderint. Hanc unam abſtinendi a communione cauſam ſtabilit; alteram, qua ex faſtidio rerum divinarum abſtinetur, non probat. *Com̃unionis,* inquit (*a*), *differendæ conſilium aliud eccleſiæ placet, ſi quis ita intermittat, ut ad eam ſibi veræ pœnitentiæ fructibus receptum quærat: alterum eccleſia repudiat, & averſatur, ſi a rerum divinarum incuria ducitur, & oblivione ac duritie . . . ab illo enim æternæ vitæ pane non aliter diſcedere fas eſt, niſi quemadmodum a mari fluvii recedunt, qui cum maxime illinc digrediuntur, eodem aliunde properant, ut uno tempore & recedere & accedere videantur.*

a.

Inconſulto conſilio.

VII. Hæc egregie ARNALDUS: Si modo humanæ conditionis magis rationem habuiſſet. Magiſtra nos experientia docet, homines, quando a ſacris myſteriis removentur, guſtum ad ea amittere, & memoriam abjicere, naturæ malignitate ab altitudine rerum divinarum ad profundum vitiorum trahente. Hinc accidet, ut ex optimo abſtinendi a ſacramentis conſilio, ad vitioſum

(*a*) ARNALD. Præf. de freq. Commun. n. 7.

Digitized by Google

ſum illud, quod ipſe ARNALDUS damnat, deſcenſus fiat. Exemplum iſtius rei Rigoriſtæ in Galliis præſertim jam exhibuerunt. Quod piiſſimus notavit *Jo.* BUTTILIERIUS, abbas & reformator Trappenſis zelo aliquantiſper abductus, donec ex fructibus & effectu in Rigoriſtis his didicit, quod ſemper experientia docuit in quibusvis, qui inſolitum aliquid in diſciplina præter eccleſiæ auctoritatem tentarunt. Id quod noviſſimis temporibus, in quibus refriguit charitas, omnino timendum eſt, tanta ad malum pronitate. Aliter olim accidit, hominibus certatim, & ultro ſe ad duriſſimos publicarum pœnitentiarum labores ingerentibus, qui nullis etiam criminibus irretiti eſſent. Eorum autem, qui in idem crimen relaberentur, maxima raritas eſſe debuit, eoquod inviolabili olim lege conſtitutum legamus, nunquam locum ſecundæ pœnitentiæ publicæ fuiſſe. Jam vero, ſi ARNALDUM *(a)* audiamus, quævis olim mortalia peccata pœnitentiæ huic publicæ ſubjecta fuerunt, itemque omnis talis pœnitentia *(b)* conjunctam abſtinentiam & remotionem ab Euchariſtia habebat; ob quodcunque ergo peccatum mortale pœnitentes aliquo tempore, antequam

(*a*) Pag. 210. &c. (*b*) 260. &c.

Digitized by Google

reconcilientur, retinendi erunt, cum ex
a. ipſius (*a*) ſententia pœnitentiæ conſummatio Euchariſtia ſit. Hoc ſexcenties
b. ARNALDUS (*b*) inculcat, contendens confeſſionem non eſſe ſufficientem ad communionem, præparationem, ne-
c. que (*c*) ſolam etiam a mortalibus immunitatem, quapropter ob ipſa etiam
d. venialia (*d*) peccata pie abſtineri non dubitat. Hoc ipſe tum alibi, tum poſtremo cumprimis primæ partis capite multis exemplis ab antiquitate petitis comprobare nititur. Quod certe nemo in Sanctis improbaverit, qui humilitatis intimo inducti ſenſu aliquando indignos ſe cibo cœleſti rati, ultro ab eo abſtinuerunt. Sed quis inde in cœtum totum chriſtianorum promiſcue hunc uſum inducere tentet? Quotus quisque horum exemplis vivens ad communionem accedere tentet? Carebunt altaria ſacerdotibus, pulpita communicantium fideles deſiderabunt: cum ipſe ARNAL-
e. DUS (*e*) pronunciet, laborioſæ pœnitentiæ functiones vitam illam deſidioſam & inertem, omnium matrem vitiorum, quam ſæculares plerique omnes conſectantur, excutere. Ergo ſæculares omnes

(*a*) Pag. 247. &c. (*b*) 416. 187.
(*c*) 188. 526. (*d*) 175. 181.
(*e*) L. c. P. II. c. 9. p. 287.

mnes a communione Corporis dominici ſint abſtenti, ſi ARNALDO obſecundamus. Imo, ſi, quod aliis e Rigoriſmi grege placuit, ſimiliter arcendi ſunt a ſacra communione, quibus nondum ineſt amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers, nemo jam mortalium tremendis myſteriis auſerit ſeſe ingerere: præſertim ex eorum mente, qui tantopere humanæ naturæ corruptionem exaggerant. Sed bene habet, quod hoc intolerabile Rigoriſtarum placitum ALEXANDER VIII. anathemate dispunxerit, unacum illa aſſertione, qua iidem ſacrilegos eſſe judicandos contendebant, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint. Cum enim a ſacris canonibus poteſtas ſacerdotibus commiſſa ſit, qua poſſint, quos minus dignos exiſtiment, a communione abſtinere, ut veteri phraſi CYPRIANI, aliorumque loquar, hac facultate abuſi Rigoriſtæ confeſſarii, omnibus paſſim Euchariſtiam interdicebant, qui, quas ipſi præparationes requirerent, non afferebant: in tantum abducti inſania, ut etiam Lutheraniſmi accuſarent, qui ſecus putarent faciendum: ac ſi faverent errori iſtius Novatoris, quo ad communionem facino-

roſos præ piis magis idoneos judicat.

Ipſisque auctoribus peſſimo.

VIII. Ex iſtis Rigoriſtarum uſu & diſciplina in Euchariſtiæ adminiſtratione placitis, æquius fortaſſis in eorum favorem decernere liceat, quod publicis etiam ſcriptis tanto pruritu ipſis objectum eſt, ac ſi de Euchariſtia minus catholice ſentirent. *Vidit urbs*, de hac calumnia conqueritur MONTALTIUS (*a*), *Pariſiorum publice parietibus ſuis affigi juſſu veſtro* (Jeſuitas alloquitur) *infamis libelli infamem titulum: Portus Regii adverſus diviniſſimum ſacramentum cum Geneva conſenſus. Vidit Meinerii veſtri nomen infandum in illius fronte præfixum. Vidit in hoc libello apoſtaſiæ inſimulari non modo clariſſimum abbatem S. Cyriani, & inſignem illum Arnaldum, ſed etiam ſororem ejus Agnetem quondam Regii Portus abbatiſſam, cæteraſque hujus monaſterii religioſas virgines, quarum de Euchariſtia fidem non minus ſibi ſuſpectam eſſe dicit, quam ipſius Arnaldi, quem certum Calviniſtam jam dixerat.* Hoc impactum crimen ibidem MONTALTIUS multis ſingularis pietatis, & reverentiæ Portus Regii argumentis amolitur. Anſam arripuerant adverſarii hujus ſpargendi rumoris ex locis duobus libri de frequenti com-

(*a*) Ep. XVI.

communione, quibus comparationem inſtituit, inter eam Corporis Chriſti participationem, qua nos in Euchariſtia potimur, atque illam, qua Chriſto beati fruuntur in cœlis, tametſi ARNALDUS ſæpius in contextu libri transſubſtantiationis, realisque præſentiæ mentionem faceret: ac ſi potuerit ſolum intelligere realem præſentiam, *& transſubſtantiationem quandam figurativam.* Sed ARNALDUS (*a*) quadam epiſtola aſſeverat, *Impudentiſſime mentiri, quisquis ſe negatæ transſubſtantiationis inſimulet: libros ſuos reali in ſacramento Chriſti præſentiæ, Calvinianæ hæreſi oppoſitæ, ſuperſtructos.* Noti ſunt ARNALDI, ac Portus Regii in Calviniſtas de doctrina Euchariſtiæ labores egregii ſane, & æternæ memoriæ digni. Sed non hujus ſolum ſacramenti, quin etiam pœnitentiæ, auricularisque confeſſionis abolendæ conſilium fuiſſe caſuiſtarum apologiſta ARNALDO, aliisque tribuit: ſunt, qui hoc decretum factum eſſe velint in conventu illo Burgiſontano, de quo tot ac tam varii rumores ſparſi ſunt. Ferunt ergo iſtic ſex doctores novo armorum genere Chriſtianiſmum omnem laceſſere, imo funditus evertere, conſpiraſſe. Horum doctorum quinque, litteræ initia-

(*a*) Ep. 2.

les circumferebantur, quorum nomina ſextus doctor, facti pœnitens, unacum re tota prodiderit. Conjiciebant ſagaces, quinam hi eſſent tantopere nomini chriſtiano inviſi: anſam, occaſionemque ſuſpicionis nacti ex librorum materia, quorundam ſcriptorum tunc temporis celebrium. Erant autem hæ litteræ: I. D. V. D. H. | C. I. | P. C. | A. A. | S. V. | ſub his litteris IOANNEM DU VERGER DE HAURANNE, *abbatem San-Cyranum*, CORNELIUM IANSENIUM, *epiſcopum Iprenſem*, PHILIPPUM COSPEAU, *doctorem Sorbonicum*, *epiſcopum Nannetenſem*, PETRUM CAMUM, ANTONIUM ARNALDUM &c. deliteſcere augurabantur. D. FILLEAU vult in hoc conventu conſtitutum eſſe, ſacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ, quæ ſæpius inter chriſtianos frequentantur, impetere, ea arte, ut homines paulatim ab eorum uſu abducerentur, dum nihil minus agi videretur, uſum eorum durum adeo efficiendo pro præſentibus hominum moribus, ut cum tempore omnis horum ſacramentorum fides hominibus eriperetur. De vocibus A. A. majori contentione diſceptatum: fuerunt, qui *Antonium* ARNALDUM illis deſignari crederent, conjecturam faciebant ex libro de frequent. Commun.

mun. Sed cum ARNALDUS aperte falſi adverſarios convinceret, commonſtrans vix duodecimum annum compleſſe, quo anno conventus iſte in ruinam totius Chriſtianiſmi habitus dicatur; ARNALDI pater primum, deinde frater inſimulatus ejusdem criminis eſt, nullo idoneo argumento. Adverſus hanc calumniam acriter inſurgit MONTALTIUS epiſtola decima ſexta. WENDROCHIUS, qui has epiſtolas notis illuſtravit, idem præſtat. Ipſe ARNALDUS epiſtola quadam ad Galliæ magnatem hanc rem ut ſummam injuriam, calumniamque, quæ excogitari poſſit, maximam exaggerat. Sed fortaſſis hoc pœnæ loco ipſe, ac ſodales ſui ſufferre debuere, qui famam Societatis JESU ut labefactarent, nulli operæ pepercerunt. Teſtes vel ſolæ denunciationes ab ARNALDO repetitæ adverſus peccatum philoſophicum, ubi quidquid ab extremis uſque novi orbis plagis inaudire potuit, quod invidiam Jeſuitis poſſet creare, eosque infamaret, propalavit, ac in vulgus ſparſit: idem aliis libris præſtitit, præſertim pluribus contra Moralem Jeſuiticam voluminibus, quorum major pars ARNALDI fœtus habetur.

Nec legitima auctoritate, aut ratione.

IX. Sed, ut ad nos redeamus, damus hæc falſo eſſe jactata, nec ſeveritatis, rigorisque, quem hucuſque deſcripſimus, alios fuiſſe fontes ac cauſas, quam quas primo ſtatim ſermonis ingreſſu indigitavimus: ſatis eæ Rigoriſtarum animum ac intempeſtivum zelum produnt, eos non tam profectus eccleſiaſtici ſtudio, quamvis id præſeferrent, quam partium ſuſceptarum amore abductos eſſe, odiique acerbitate abreptos. Imprimis enim dum antiquæ eccleſiæ ordinem & diſciplinam extollunt, hodiernam omnem praxin importunius accuſant, cui æque a DEO promiſſa eſt perpetuo Spiritus S. præſentia, qua gubernetur. Neceſſitati temporum & prudenti œconomiæ, conſilioque tribuere debebant, ſi quæ pro temporum diverſitate diſciplinæ varietas eſſet. Quæ ſi etiam ad divini Numinis gloriam propagandam minus videatur conducibilis, majoris tamen mali periculum evitat, vulnusque lenit, dum penitus ſanari refugit. Quare ſummæ temeritatis ſit, plus ſapere velle quam eccleſia, quæ divino Spiritu regitur: quod præſumſerunt inhumani Rigoriſtæ, dum diſciplinæ hodiernum ordinem pervertere immaturo zelo allaborarunt. Quod in præpoſtera multorum confeſſariorum

praxi

Digitized by Google

praxi merito carpi potuit, quodque etiam ſalubre votum fuiſſet, ac conſilii ſuggeſtio de veteri diſciplina publicæ pœnitentiæ, dum ad omnem hodiernæ eccleſiæ diſciplinam ſufflaminandam in arcano pœnitentiæ tribunali ac foro interno, quod ſolo in externo locum habuit ac habere poteſt, extra orbitam itum eſſe nemo non videt.

Quibus totum rigoriſticum ſyſtema deſtitutum eſt, nec humanæ convenit naturæ ac commercio.

X. Alterum adhuc gravius eſt caput, quod primo commemoravimus, dum iidem Catones inauditas morum regulas ſtatuere contra ſcripturæ mentem, antiquitatis uſum, communemque ſenſum, ac lumen naturæ rationali inditum attentarunt: perſuaſi ſe nunc demum ſecuram ac tutam ad cœlum viam reperiiſſe; cum contra eam potius inacceſſam, imperviamque reddiderint. Volunt, ut in rebus non plane certis, tutius, ſecuriusque conſectemur, & ſi aberrare nos contingat, neutiquam excuſari, cum S. PAULUS dicat: *Qui non manducat, manducantem non ſpernat; & qui manducat, non manducantem non ſpernat*; vult S. PAULUS, dum in diverſa abeunt opinantium ſententiæ, quemlibet pro animi ſui conſilio id ſequi, quod ſibi conſultius fides ac conſcientia ſuggeſſerit: iſti ſolum quod ex una parte eſt, nempe tutius ſuſcipi debere

bere dictitant , ne forte falſum ſubſit, quo facto , nullo modo error excuſari poſſit , quantumvis bona fide, rectaque ac ſimplici conſcientia in eum inciderimus. Jam ergo S. Cyprianus cum ſociis rebaptizantibus , antequam de errore manifeſte conſtaret , damnatus eſt , ſi iſtis credimus : nullam excuſationem Antiocheni illi habent, qui, ut refert Baronius , cibis in macello, quos Julianus gentilium cæremoniis inquinari præceperat , nihil dubitarunt veſci , cum aliter Cpolitanis chriſtianis faciendum videretur : damnandi ſanctiſſimi viri, qui aliquando ex conſcientiæ perſuaſione falſi ſunt , quorum catalogum longum producere promtum eſſet, ſi operæ pretium foret. Ipſæ nobis ſcripturæ magnum numerum exemplorum exhibent, quibus clare oſtenditur ; ſi quando contigiſſet res in conſultationem, deliberationemque venire, rectene, an ſecus quid fieret, non ſemper tutius electum eſſe. Quam in rem non poſſum non in medium afferre,
a. quod auctor (*a*) colloquiorum Cleandri & Eudoxi refert , quo Rigoriſtam quemdam epiſcopus inſignis Galliæ luſit, confuditque, en rem geſtam: Gallo mercatori, narrat epiſcopus, erat uxor

(*a*) Dial. IV. n. 7.

uxor præſtanti forma. Is navem fregit in Indico mari, vixque evaſit in oppidum Hiſpani juris: continuo deducitur ad urbis gubernatorem, ut peregrini ſolent, hominem ferocem & libidinoſum, qui, ut primum fœminam hanc vidit, exarſit. Admonitus mercator, conſilii & auxilii inops, accurrit ad oppidi collegium, rogat, evocari ſibi duos e magiſtris, alterum qui theologiam, alterum qui moralem ſcientiam docebat; adſunt, iis mœroris ſui & ſollicitudinis cauſam exponit: Exploratum habeo, inquit, non cunctaturum gubernatorem uxorem meam ducere, ſi nuptam non eſſe reſciſcat, nondum enim uxorem eſſe meam intellexit. Porro ut certis auctoribus comperi, deliberatum ipſi eſt, me immiſſis percuſſoribus de medio tollere, ſi mihi matrimonio junctam cognoſcat, aut ſi, quo minus eam ipſe ducat, obſtem: ſin vero in me nihil moræ, hanc mihi copiam & facultatem dabit, ut ſedem hic, & domicilium collocem, atque accepta naufragio damna cumulate ſarciam. De meo matrimonio tacere poſſum, quod omnibus latet, eamque affinem meam prædicare, uti eſt reipſa; quam niſi petita & impetrata diſpenſatione, non duxi. Quidquid juſſero, morem illa geret,

ret, ſat ſcio: cæterum DEUM hactenus præſentem, & propitium millies expertus, perire prorſus malim, quam ejus majeſtatem aliquo crimine violare; & me tacita quadam fiducia conſolatur, & in eam ſpem adducit, non datum iri eam poteſtatem gubernatori, ut, quæ deſignavit, exequatur, aut aliquid in meam uxorem admittat. Theologus prior verba facit: dolet mercatoris vicem, denunciatque, aliud reſtare nihil, niſi ut egregio facinore fidem ſuam & amorem DEO approbet, vitam ultro in apertum diſcrimen objiciendo: ſi rogatus hæccine uxor ipſius ſit, reſpondeat affinem eſſe, mendacium planiſſime admitti, aut ambiguam uſurpari vocem, quam adhibere nefas: verum illud longe eſſe graviſſimum, quod inducere nequeat uxorem ad diſſimulandum id, quod eſt, ſeque affinem ipſius prædicandam, quin eam aperte conjiciat in adulterium, cujus ipſe conſcius & particeps futurus ſit: tantam in divino præſidio ſpem ponit; id præcipue confidat, futurum, ut ipſum DEUS periculo eximat, quo minime retur modo: nihil autem eſſe quod ſperet fore, ut DEUS mentem gubernatoris incenſam libidine convertat, ac mutet: aut uxorem ſuam ab eo crimine tutetur, cui ſeipſa, dum obſequi viro ſtudet,

Digitized by Google

det, implicuerit &c. Caſiſta viciſſim verba facit, ſeque aliter prorſus cenſere mercatori renunciat: primum enim cum eam affinem eſſe ſuam dicet, nihil dicturum eſſe mendacii, veritatem quidem celaturum, at nihil falſi locuturum; quod profecto culpa vacat. Deinde quod attinet ad adulterium, cui objicitur ipſius conjux, hanc in eo culpam non hærere: officio ſatisfacere, ſi DEUM pia precatione conciliare ſtudeat, ſi rem omnem ejus benignitati cum fiducia permittat. Quodſi religio aliqua injiciatur, ne DEUM ſic tentet, multo magis tentatum iri, ſi manifeſtum mortis periculum adire non dubitet ea fiducia, fore, ut ex eo divina ope ſalvus, & incolumis emergat. Id modo ipſi eſſe faciendum, ut non de morte duntaxat vitanda cogitet, ſed præterea voluntatem retineat, in qua ſe jam eſſe confirmabat, quidlibet potius perferendi, quam in DEUM peccandi. Oh! Jeſuitam agnoſco, exclamat Janſeniſta . . . Ubi vidit præſul hominem eo, quo volebat, inductum, addidit ſubridens: atqui hæc, quam modo narravi, mera parabola eſt. Nunc quid arcani tegat accipe. Quod in iſto mercatore fictum atque adumbratum audiviſti, hoc ipſum contigit Abrahamo, ut noſti probe. Is,

quo

Digitized by Google

quo mortem effugeret, auctor fuit SARÆ, ut hominibus a PHARAONE, & ABIMELECHO miſſis renunciaret, ſe ABRAHAMI ſororem eſſe, uxorem eſſe non diceret. Quem theologum loquentem feci, is S. JOANNES *Chryſoſtomus* eſt, qui *Epiſt.* 3. *ad Olympiadem* ABRAHAMUM plane culpat, quaſi qui uxoris adulterio aſſentiatur, & ovem objiciat lupo; qui documento ſit, vel ſanctiſſimis viris, quam eos ſua interdum virtus, probitasque deſtituat. In caſuiſta vero S. AUGUSTINUM agnoſce, qui diſertis verbis docet *L.* 22. *contra Fauſtum c.* 33. *&c.* ABRAHAMUM vacaſſe culpa, cum SARAM affirmavit ſororem ſuam eſſe, *quia*, inquit, *tacuit aliquid veri, & non dixit aliquid falſi &c.* Hæc mihi oppido feſtiva, digna viſa ſunt, quibus hanc contra Rigoriſtas diſputationem finiam: atque ad alteram erroris extremi partem digrediar.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Exponitur ortus & progreſſus, nec non fata contra torrentem indulgentioris morum doctrinæ.

I.

Ubi certum haberi nequit, probabilibus locum eſſe.

Quod eſt a Tertulliano in adverſantibus ſibi hæreſum erroribus notatum, inter eos ceu pendentibus utroque latere latronibus mediam veritatem conſiſtere, ſicut Chriſtus inter duos latrones crucifixus eſt; idem applicari præſenti, in quo verſamur, argumento poteſt. Utrinque aberrantes deprehendas, his in hanc, illis in illam partem longius abeuntibus, ut in virtutum ſtudio accidit, vitiis contrariis ambo latera occupantibus. Namque eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere verum. Hucuſque in unam partem declinantes Rigoriſtas conſideravimus, qui, quod mireris, ex illa ſecta, quæ naturæ humanæ per peccatum corruptionem atris maxime coloribus depingit, volunt tamen nos nonniſi debere certa & aſſerta ſequi: cum natura ignorantiæ tenebris obſeſſa, tantopere ad veritatis perceptionem palpitet, ut adeo ex eo fonte, quo

errorem hauſerunt Rigoriſtæ, veritatem elicere pronum ſit: nimirum ubi per intellectus debilitatem certum haberi nequit, fas eſſe id amplecti, quod magis probabile ſit, ac veriſimile. Sed hic iterum caute agendum, ne in oppoſitum impingamus ſcopulum, ſicque vitata Charybdi, in Scyllam incidamus, falſa probando, nec rectum aſſequendo, quod tunc tantum indulgendum eſt, ſi nihil reſidui fecimus ad recti indagationem, ac vitium potius in natura, quam noſtra opera reſidet: ſed vel maxime attendendum, ne probabilitatis pomæria latius, quam oportet, protendamus. Contra hunc exceſſum cautos & prudentes reddere nunc propoſitum eſt, ne in tanto erroris periculo, quod hic cumprimis proclive, aliquid defuiſſe partibus meis judicer in eo, quod præ manibus eſt, argumento.

Probabilium certi **grad**us, de **quib**us **quæ**ri pot**eſt**, quan**do** pru**dent**er in**tellect**us **aſſ**enſum **elici**ant.

II. Probabilia non rebus ipſis, ſed noſtro intellectui inſunt, cum de rebus ſuo decernit arbitrio, ob obtuſum autem, ut diximus, labe Adami acumen perveſtigare ſemper & aſſequi verum non poteſt. Contingit autem ſæpiſſime intellectum falſis veritatis umbris decipi, ut falſum pro vero ſuſcipiat, ac plerumque non ſine formidine judicet, eoquod contrariæ etiam partis aliquæ

adſint

adſint veritatis notæ. Ex hoc conflictu probabilia oriuntur, cum nimirum utrinque ſe produnt rationes, quæ ita, aliterque rem ſe habere ſuadeant, ut ad determinatam veritatem pertingi nequeat. Rebus ita ſe habentibus intellectus fluctuet neceſſum eſt: quod dum fit, dubius eſſe, ſi vero uni ſe adjungat parti aſſenſu ſuo, probabile ſequi dicitur. Sunt autem diverſi probabilitatis gradus, dum vel æquales in utramque partem proſtant rationes, vel unius partis pondus alterius gravitatem vincit. Hic jam quæſtio exoritur, quid ab intellectu, tali rerum ſtatu, recte fiat? Quis probabilitatis gradus ad ejus aſſenſum prudenter eliciendum neceſſarius? An, quando æquales ſunt utrinque rationes, recte uni præ altera, cui libuerit, acquieſcat? aut etiam accedere poſſit ad eam partem, cui minora ſuppetunt rationum momenta? An denique neceſſario intellectus ei parti deferat, quæ majoribus ſtipata eſt rationibus, & ad verum propius accedit? Quæſtio hæc vel maxime locum habet in moribus ad rectam normam dirigendis; dum nimirum ambiguum eſt, rectene, an ſecus quid fiat, licitum, an illicitum ſit: incumbatne legis alicujus naturalis, divinæ, humanæque obligatio: ubi, quando

Digitized by Google

certum ſtatui nequit, probabile judicium ferendum in unam demum partem. In hoc enim omnes conſpirant, quamdiu animus anxius, dubiusque hæret, tutius in agendo ſequendum. Solummodo ergo quæritur, an tutius ſequendi obligatio nulla ſit, quando vel majores vel æquales, vel minores minus tutæ opinionis præſto ſunt rationes? Nulla harum partium ſuis his temporibus deſtituta eſt aſſertoribus.

Primum poſtrema hac ætate Probabiliſmum invectum, ob novitatem ſuſpectus.

III. Vix unum alterumve ſæculum elapſum eſt, quando de hac re theologi tractarunt, antiquis enim nec in mentem venit quærere, an ſequendum ſit, quod rationi magis conſonum, & ad verum conformius eſſet. Poſtquam etiam de hac re primum in ſcholis quæſitum, communis ea fuit ſententia, inter duas probabiles opiniones illi acce-
a. dendum, cui majores adſint rationes. *(a)* Hæc perſuaſio medio ſæculo decimo ſexto omnium animos inſederat, cum eo vergente aliter ſentire doctores cœperunt, ſtatueruntque, ſatis eſſe ad ſecuritatem, ſi probabilem ſequeremur ſententiam, ubi contraria majoribus etiam niteretur momentis. Brevi temporis ſpatio ſic percrebuit iſta opinio, ut communis

munis

(*a*) Vid. P. *Thyrſum* Gonzalez Introd. lect. ad diſſ. de recto uſu Op. Prob. p. 2. 3. &c.

Digitized by Google

munis doctorum venditaretur. Nobis hic ſermo tantummodo eſt de illis, qui ex inſtituto hoc argumentum tractarunt: de quibus, quæ nunc primum dixi, certiſſime affirmare auſim; quidquid hujus doctrinæ fautores teſtimoniorum corradant, Doctorum, ac etiam Patrum, in patrocinium ſuæ opinionis. Quamvis, qui æquiores ex ipſis ſunt, non diffiteantur, ſecum Patres & theologos paulo antiquiores non facere. Imo fuerunt, qui hoc ſibi gloriæ darent, atque publice edicere haud vererentur: *Tota theologia noſtra nova eſt.* Hoc quidem de facultate ſua opinandi, atque in utramque partem regulas morum deflectendi aſſerebant, quæ enaſcitur ex ſyſtemate probabiliſtico, & contentione ſcholaſtica de omni re diſputandi, & contrarias tuendi ſententias. Quod fundamentum *Ant.* TERILLUS contra pleroſque etiam patronos ſententiæ minus probabilis in concurſu probabilioris commentus eſt, nec antiquorum, vel unico teſtimonio demonſtrare poterat: & mihi etiam videtur illi rationum conflictui, quibus invicem ſectæ ſcholaſticæ committuntur, & rationum pondere vincere ſeſe mutuo in diſputationibus ſtudent, omnino adverſum, ut idem huic aut alteri contrariæ opinioni, prout libuerit,

Digitized by Google

poſſit adhærere. Ab Anti-Probabiliſtis vero aperte eſt demonſtratum, non ſolum antiquos Patres ac philoſophos, verum etiam ſcholaſticos omnes, quantumvis in varias ſectas abierint, quibus ſeſe ſententiarum contrarietate opponebant invicem, in hoc tamen quoad regulas morum conſenſiſſe, quemque fixum ſibi debere ſtatuere conſcientiæ dictamen: nec problematice huic, aut alteri, prout libuerit, licere contradictoriæ adhærere opinioni, ut hodie ſunt, qui aſſerunt. Ut hinc *Stephanus* GRADIUS, bibliothecæ Vaticanæ præfectus ultro ſe vinciendum, & in triumpho ducendum cuidam probabilitatis minoris fautori obtulerit, ſi quisquam unquam per omnem præteritorum ſæculorum memoriam ita locutus inveniatur, ut Probabiliſtæ. Quæ ſunt hujus auctoris verba cap. 23. diſputationis *de Opin. Prob.* Neque vero mirandum, hanc opinionem cito tam multis arriſiſſe: cauſa in promtu eſt, eam nolim meis verbis proferre, celebris teſtimonium recitabo NAVARRI (*a*): *Non videtur*, inquit, *una opinio appellanda communis, ad effectum præjudicandi alteri, quod plures eam ſequantur, tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt ſine judicio ſequentes;* velut

(*a*) Manu. c. 27. in Miſcell. 6.

velut aves, quæ unam volantem aliæ omnes ſequuntur. Quare ſi nobis contra hanc opinionem omnes aliæ probationes deficerent, quæ licentiam dat minus probabilis cum probabiliori concurrentis ſententiæ ſequendæ, hæc una ejus novitas ſatis ad eam infirmandam roboris haberet. An enim credibile, præcipuum moralis theologiæ cardinem de electione probabilium, quorum tantus numerus eſt, ut in ſolo DIANÆ opere ultra 3000. talium opinionum numerentur, toti antiquitati ignotum fuiſſe, atque his poſtremis tandem temporibus revelatum? Merito ineptiam hanc Pariſienſes parochi, qui præcipuum adverſus doctrinam morum remiſſiorem ardorem oſtenderunt, GUIDONIS *Carthuſiani* verbis exploſerunt: *O apoſtolorum tempora infeliciſſima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui, ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum DEI tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant.*

Quidquid de ejus antiquitate & auctoritate illius patroni vane jactitent.

IV. At ſi quoſdam confidentiores Probabiliſmi patronos audimus, longe ſunt anguſtiora illius primordia, & natales. Ac CARAMUEL quidem non dubitat illius initia e cœlis ab angelis arceſcere, unde in paradyſum, atque

 inde

inde in terram migrarit ad hodiernum uſque diem conſtanter retentus, & propagatus. TERILLUS non veretur ipſi B.mæ MARIÆ Deiparæ uſum ſententiæ minus probabilis in concurſu probabilioris tribuere, quando per integrum diem divinam ſobolem reliquit, exiſtimans eum inter cognatos degere, ut refert P. *Daniel* CONCINA, qui ſolicitus in natales Probabiliſmi indagavit. Duplicem autem illius diſtinguit originem inter paganos, & chriſtianos. Erant inter illos celebres Academicorum, & Pyrrhoniſtarum ſeu Scepticorum ſcholæ, quorum principia ſeſe etiam ad vitam protendebant, quale eorum axioma iſtud refert S. AUGUSTINUS (*a*): *Cum agit quisque quod ei probabile videtur, neque peccat, neque errat.* S. Doctor, qui aliquamdiu in juventute iſta opinione abductus fuerat, facile poſtea perſpexit, quam hæc vitæ, ac moribus inſtituendis pernicioſa eſſet; cum nullum ſit ſcelus, quod non aliqua ſpecie probabilitatis velari queat. *Qui autem*, ſunt verba S. Patris citato in loco, *non putant iſta probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationem Catilinæ, quæ patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit.* Nec tamen academici unquam eo progreſſi ſunt,

(*a*) Contra Academicos l. III. c. 16.

ſunt, ut in concurſu probabilium minus probabile ſequi licitum vellent, nec ipſi Sceptici, qui quaſi dubii ob æqualia probabilitatum pondera pendebant, audebant in alterutram vergere partem, nulla ratione præponderante. Id quod jam religioni haud ducunt chriſtiani Probabiliſtæ, in negotio ſalutis æternæ etiam minus probabilem ſectandi opinionem licentia facta: novo, & a ſæculis inaudito commento primum ſæculo decimo ſexto ſubtiliter excogitato. Laudatus P. CONCINA P. *Bartholomæum* MEDINA inventorem illius conſtituit, qui anno 1577. commentatus in ſecundam ſecundæ D. THOMÆ non quidem ex inſtituto examinavit ſententiam hanc, eamque ad conſecutiones perverſas, quas ſequi inde pronum eſſe jam perſpexerat, cavendas, variis exceptionibus concluſerat. Vergente ſæculo decimo ſexto, exorienteque decimo ſeptimo veluti in ovo adhuc, & implumis in nido ſuo degebat, cum ecce a ſolo nativitatis paulatim undique ſe propagare cœpit, & cito ſubſellia fere omnia occupare, cum facile blandiente ſuo genio, ac ſuavitate ſeſe inſinuaret, & acutis, ſubtilibusque humanæ rationis inventis curioſitatem alliceret, & in aſſenſum flecteret mentes aſſuetas his rebus, hisque ſtudiis.

Non amplius perſtitit moralis chriſtiana in ſolidis ac ſimplicibus principiis, unde chriſtiani emergentibus variis vitæ humanæ caſibus, quid conſilii eſſet, poſſent determinare, omnia in omnem partem ſunt excuſſa, & dum utrinque probabilitatis aliqua affulgere ſpecies eſt viſa; juxta fœcundum principium Probabiliſmi, nihil non licitum eſt defenſum, nihil non ſub diſputationis trutinam in utramque contradictoriam partem eſt ſumtum, nihil non libertati contra obligationem legis æternæ vindicatum, ut theologiam illam fuerint qui vocarent artem rixandi cum Deo. Mirum haud eſt, diu tutam, & quietam eſſe haud potuiſſe in chriſtiano orbe hanc licentiam. Ubique gentium calamus ſtringebatur, præſertim autem in Galliis, cum primum graſſari cœpit, mox eſt ſuffocatus mali ovi malus fœtus. Undique ſunt proſcriptæ ſententiæ non a facultatibus tantum theologorum, verum etiam a conventibus paſtorum, ac ſummi in terris vicarii Chriſti auctoritate. Ad ipſam radicem ſecuris eſt poſita, doctis, ac piis impugnantibus, & fundamentum ipſum concutientibus, paſtoribus etiam, novum opinandi modum ſimplicitati evangelicæ contrarium damnantibus. Quod nimirum eſt verendum ab excogitato no-

vo

Digitized by Google

vo Probabiliſmi commento, quatenus ad praxin, moresque formandus ſpectat. Quidquid ſit de ipſa ſpeculativa quæſtione, quam hactenus eccleſia doctoribus refutandam reliquit, quæ quotidie plures nanciſcitur adverſarios, & ægrius ſe tuetur, atque omni ex parte labaſcit.

Probabiliſmus nunquam ſine adverſariis fuit, inter quos plurimi ejus aſſertores ipſi ſunt.

V. Sed neque illud de ſecundis Probabiliſmi temporibus recte dicitur, theologos omnes in eam ſententiam abiiſſe. Omni tempore fuerunt, qui contra non ſolum ſenſerunt, ſed etiam data opera hanc novam licentiam improbarunt, impugnaruntque. Ut enim nihil de Rigoriſtis dicam, qui indignatione probabilium opinionum in contrarium errorem delapſi ſunt: celebres ſunt doctores ex omni natione, ex omni hominum, ordinumque genere, qui ſe falſa libertatis, indulgentiæque ſpecie decipi non ſunt paſſi. Præſertim hoc accidit, poſtquam primos remiſſioris in morum doctrina fructus, ALEXANDER VII. diris devovit. Tunc plures palinodiam cecinerunt: alii ſtudioſius ad reſtituendum theologiæ moralis decorem incubuerunt. Non tamen omnes eodem modo ſeſe huic doctrinæ oppoſuerunt. Fuerunt, ſuntque hodie etiamnum, qui cum benignam minus probabilem ſententiam præ altera ſequi renuant, concedunt tamen, & indulgent,

quando

Digitized by Google

quando æqua utrinque eſt rationum æqualitas: alii ita fulcitam rationibus aliquam ſententiam legis veniam dantem eſſe volunt, ut contrariæ partis probabilitas ut ſcrupulus poſſit reputari, contemnique. Imo ſi *P. Thyrſo* GONZALEZ credimus, homini in hoc argumento diu multumque verſato, atque in volvendis theologis, evolvendaque hac materia exercitatiſſimo, plurimi, qui Probabiliſmum ſtatuere videntur, facile cum noſtra opinione conciliantur: dum nempe ſolum admittunt, poſſe quempiam ſententiam ſequi, quæ in ſe, prout eſt in communi doctorum exiſtimatione altera minus eſt probabilis, modo ipſi operanti probabilior appareat, ut ei prudentem, ſemotum ab affectibus, partiumque ſtudio, poſt ſatis diligentem, gnavamque diſquiſitionem poſſit præbere aſſenſum. Hoc ſecunda de recto uſu opinionum probabilium diſſertatione multis argumentis aſſertum it reverendiſſimus auctor. Aliter mihi in animum inducere non poſſum, qua ratione id aliquis, ex contrarium opinantibus, ſerio approbare poſſit, quod revera minus approbat. Tam aperte hoc contra communem ſenſum, omnemque rationis conceptum pugnat, ut aut imprudens, ſit, qui contra judicet, aut eum aliqua ob-

obſcuritatis, ambiguique ſenſus perplexitate teneri neceſſum ſit. Quare lubens *P. Thyrſo* ſubſcribo, quamquam ſcholaſticorum theologorum mentem non tam ſedulo explorarim; putoque hac ratione plures in bonam partem interpretandos: aut alio adhuc modo excuſandos, explicandosque. Multos nimirum Probabiliſtarum, quos vocant, exiſtimaſſe, poſſe quemvis, contra propriam animi ſui ſententiam viris in arte peritis, probatisque theologis fidem adhibere: ut quamvis ab intrinſeca ratione, prout proprio intellectui res proponitur, minus probabile quid appareat, eo ipſo tamen haberi pro vere probabili poſſit, eoquod docti, peritique pro tali habuerint; ſicque proprium arbitrium alterius judicio ſubjicere. Quod etiam locum habere poteſt, quando ſententia indulgentior auctorum contra exiſtimantium numero inferior eſt; quis enim neſciat ſæpe a magna multitudine errores defenſos, apud paucos veritatem conſtitiſſe? Qui ita decernunt, quamvis errore occupentur, id tamen naturæ inditum lumen non penitus extinxerunt, quo perſpicuum eſt, ſecundum rectum rationis ductum, neminem poſſe probare id, quod præ altero minus probabile objicitur. Ab his non aberrant illi, qui ob

judi-

judicium reflexum, de quo inferius dicendi locus eſt, Probabiliſmum ſequuntur, eoquod mentem reflectendo ad opinionem de conſectanda minori probabilitate, ea ſe ob multitudinem fautorum non ſolum probabiliorem, ſed etiam moraliter certam exhibeat. Falluntur iſti oppido, ſed non in eo, quod ratio approbare niſi magis probabilia nequeat.

Probabilitas qualiscunque extrinſeca, cum abſurdis inde conſequentibus.

VI. Unde mihi tam certum eſt, intellectum, niſi quod ſibi veriſimilius, approbare non poſſe, ut inde omnes apud theologos enatas probabiles opiniones confidenter putem, quod ſuis primis auctoribus probabiliores ſint viſæ. Et quando deinde accidit, ut theologi paſſim ſuo indulgerent genio, tandem probabilitatis commentum eo devenire debuit, quo magno morum damno deductum eſt. Quodſi enim ſemel fas eſſe perſuaſus ſis, ſequi id, quod æque probabile, minusque; non video, ſi conſequenter loqui velis, quare non audeas eouſque uti opinione probabili, donec omnem exuat probabilitatis ſpeciem. In hoc ergo cardo rei vertitur, quouſque aliqua opinio probabilis cenſenda ſit. Non deſunt Probabiliſtæ, qui ita alieno arbitrio vivere mihi concedant, ut, ſi apud me conſtet rem aliter habere, poſſim

Digitized by Google

ſim tamen alterius ſecus opinantis ſequi mentem. Audi Escobarium (*a*): *Accidere aſſolet, ut tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium convincens videatur: ſed non inde opinio probabilitatem amittit: quia licet tu illam non valeas ſolvere rationem, alius ſolvere quibit, idque tibi debes perſuadere, cum ſæpe tibi multæ rationes inſolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio ſolvuntur: quare imprudenter te gereres, ſi ob hanc cauſam aliorum opiniones, quæ ut probabiles circumferuntur, ut improbabiles adjudicares.* Secundum iſta, quæ non ſolus Escobarius tenet, haud abſurda ſunt, quæ alii cum eodem docent, ex quibus *Paulum* Laymann (*b*) teſtem citabo. *Arbitror*, inquit, *nihil a ratione alienum fore, ſi doctor conſultus conſulenti ſignificet, opinionem a quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat, quamvis idem doctor ejusmodi ſententiam ſpeculatione falſam eſſe certo ſibi perſuadeat.* Putat equidem Laymann aliam hic rationem conſilium dantis eſſe, quam ſi ipſe quispiam opus exercere deberet, id enim non licere fatetur, ſed hoc ipſo fallitur. Ut quid enim conſilium ab alio capitur, niſi ut animi illius ſen-

a.

b.

(*a*) Princip.
(*b*) Th. Mor. T. I. Tr. I. c. 5. §. 2. n. 7.

ſententiam audire quis petat, cujus auctoritati tantum deferatur, ut ejus ſententiam ſequi tuto poſſe quis ſibi perſuadeat! Quid ſi jam talis non ſuam, ſed alterius mentem proferat, & quod LAYMANN concedit, ſecundum oppoſitas probabiles ſententias oppoſita conſilia det? Quis talem prudentem virum judicare poſſit? Quid autem requirant jam videndum, ut ita ſubmittere aliquis poſſit alteri judicium, ſeu quamdiu opinio quævis in ſe præciſe ſpectata probabilis haberi poſſit, adeoque eam ſequi liceat, etſi altera contraria aperte ſit non operanti ſolum, ſed ſaniori etiam theologorum parti probabilior. *Probabilis*, inquit ESCOBARIUS (*a*), *ea opinio dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti. Unde aliquando unus tantum doctor gravis admodum opinionem probabilem poteſt efficere.* Hanc ſententiam SANCTIUS confirmat agmen auctorum producens, qui idem ſentiant. Hoc quidem quantum ad auctoritatem, quam vocant extrinſecam: ſed rem totum audire libet ex CARAMUELE, SS. Theol. doctore, & prof. Monsſerratenſium, & Diſſenbergenſium Ord. Ciſterc. Antiſtite, Cardinalis ab HARRACH Archiepiſc. Prag. Vicario generali, ac poſtea Myſiæ Epiſcopo nomina-

(*a*) In Princ. Exam. 2. n. 8.

Digitized by Google

minato, eam hic refero, prout eſt a parochis Pariſienſibus extracta, & clero Gallicano oblata an. 1656. 14. Novemb. (*a*) *Omnes opiniones probabiles ſunt ſecundum ſe æque tutæ. Benigniores etiamſi minus probabiles per accidens ſunt ſecuriores. Sed quid requiritur, ut ſententia probabilis ſit a ratione? ut non ſit evidenter falſa &c. Et quid ut ſit probabilis ab auctoritate? ut defendatur a probis & doctis?* Poſt aliqua interjecta *Communis theologorum*, inquit, *ſententia poſtulat quatuor auctores in re, quæ a multis tractatur: in hoc enim ſaltem omnes conveniunt, quod opinio quatuor auctorum ſit probabilis. Sed contra ego hanc rationem efformo, quæ ſolutione hucuſque caruit. Quidquid teſtantur quatuor auctores, eſt probabile: ſed ad probabilitatem non requiri quatuor auctores, quatuor teſtantur, imo viginti, aut plures. Ergo opinio unius auctoris eſt probabilis.* Hunc nodum facile ſolvit ALEXANDER VII. ut olim Magnus ALEXANDER Gordium. Ipſe CARAMUEL quarta operum ſuorum editione L. I. fund. XI. p. 154. hæc ſuperiori argumentationi addit: *Interim quidquid ſit de iſta ſubtilitate, tu illam ſententiam ſequere, quæ docet, quatuor auctorum opinionem eſſe ſatis probabilem.*

(*a*) CARAMUEL Theol. fundam. p. 1732.

Item intrinſeca Probabilitas cum ſuis conſequentiis damnabilibus.

VII. Sed porro Caramuelem audiamus, quid requirat, ut opinio probabilitate cadat. *Qui rem eſſe dicit illicitam, ad multa tenetur: primo enim debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtrativas, nempe tales, quibus dari reſponſio non poſſit. Secundo debet etiam oſtendere, rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles eſſe. Oſtendet, ſi omnibus ad unam dederit ſolutionem, quæ evidenter ſit vera. Tertio etiam debebit evidenter oſtendere, partem illam, quæ bonitatem adſtruit, non habere ſufficientes auctoritates, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria ſimul oſtendere ille debet, caſurus cauſa, etſi duo ex illis oſtendat, modo unum non oſtendat.* Ulterius. *Nulla ex prædictis ſyntheſibus aliter poteſt ſua probabilitate privari, quam ſi contradictoria tranſeat in articulum fidei.* Quarta ope-
8. rum ſuorum reviſione Caramuel (a) *Quid eſt*, inquit, *demonſtrare rem eſſe illicitam? Demonſtrare eandem non eſſe probabilem.* Jam antea ad quæſtionem, quænam licita ſint, reſpondit: *Demonſtrare rem eſſe licitam, eſt oſtendere illam eſſe ſaltem probabilem. Patet: quia omnia probabilia ſunt licita.* Cum ita ſentit Caramuel, conſequenter docet, quemvis modo hac, modo altera contradictio-

nis

(a) Theol. fundam. l. 1. ſ. XI. p. 156.

nis parte uti poſſe. Hanc ejus opinionem notarant parochi Pariſienſes, qui iſtam illius ſententiam exſcripſerunt, cleroque Gallicano obtulerunt. (a) *Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc ſequitur alteram, poteſt ſequenti momento licite tenere alteram. Hanc judico luce meridiana clariorem.* In recognitione operum quartæ editionis eadem poſitio apparet, cum ſequenti memorabili: *Hæc eſt mala conſequentia, ex hac doctrina magna damna ſequuntur, ergo non eſt probabilis; patet, quia ex certiſſimis, & evidentiſſimis propoſitionibus magna damna aliquando ſequuntur, & nihilominus ſunt vera.* Hanc iſti ſimilem ſententiam in CARAMUELE notarunt parochi Pariſienſes. *Hinc eſt, quod ego judicem, ſumma inconvenientia ſequi ex multis opinionibus, quæ hodie circumferuntur, nec tamen ideo illas improbabiles eſſe, multa enim ſuboriuntur ex reſtrictionibus mentalibus: multa ex occultis compenſationibus: multa ex licentia occidendi injuſtum judicem, aut teſtem, quam nonnulli concedunt: multa etiam ex illa opinione, quæ docet de occultis non judicare eccleſiam: multa ex aliis, quibus tamen non obſtantibus inconvenientibus illæ ſententiæ in terminis, quibus hodie in ſcholis traduntur, ſunt ut minimum* a.

(a) L. c. p. 159. a.

probabiliſſimæ, & a nemine damnari poſſunt. Certe Caramuel, prout erat ingenio perſpicaci, longiſſime proſpexit in opinionum conſequentias, quæ tritæ in ſcholis ferebantur, multaque in illis abſurda detexit, ut paſſim in ejus operibus exempla habentur, de quibus pius, & prudens theologus hunc uſum recte faciat, ut inde diſcat, ejusmodi opiniones, unde in doctrinam moralem tot damna, & detrimenta enaſcuntur, rejicere. Quod omnium maxime expedit in illo Probabilitatis commento, quomodo a Caramuele, aliisque propoſita eſt, ut quamdiu improbabilitas non evidenter commonſtratur, & opinio aliquo modo vel extrinſecus ob auctoritates, vel intrinſecus a rationibus probabilis adhuc perſiſtit, eam ſine diſcrimine adhibere liceat. Quæ doctrina extremam chriſtianis moribus, diſciplinæque ruinam minabatur, niſi vigilantia ſummorum Pontificum obicem currenti malo poſuiſſet, damnatis compluribus propoſitionibus, inter quas duas hic memorabo materiæ præſenti conjunctiſſimas. *Generatim dum de probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Eſt hæc tertia ab In-

NO-

NOCENTIO XI. confixa, cui affinis 27. ALEXANDRI VII. *ſi liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a ſede apoſtolica tanquam improbabilem.*

VIII. Hæc doctrinæ monſtra, quæ facile in tanta opinandi libidine, tanta morum improbitate omnem chriſtianam ethicen corrumperent, illo funeſto principio emanarunt: quo liberum homini relictum, contra propriæ conſcientiæ dictamen, contra unanimem aliorum conſenſum adhærere alteri, quem minime malum, & in arte peritum valeamus judicare: cui ſententiæ ego ſolam S. AUGUSTINI (a) graviſſimam oppono auctoritatem. *Ecce*, inquit, *dat tibi ſecuritatem procurator, quid tibi prodeſt, ſi paterfamilias non acceptet? procurator ſum, ſervus ſum, vis dicam tibi: vive quomodo vis, dominus te non perdet, ſecuritatem tibi procurator dedit, nihil valet ſecuritas peccatoris: utinam tibi dominus ſecuritatem daret, & ego te ſolicitum facerem, domini enim ſecuritas valet, etiamſi ego nolim: mea vero nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, fratres, vel mea, vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intente, diligenterque audiamus, & promiſſa fideliter exſpectemus.* Non unius, aut alterius Ca-

Contra quas veritatis ſtudium ſuſcipiendum, quantum ad eam acceſſus patet.

a.

(a) Homil. 12.

ſuiſtæ judicium, non ex falſo, aut levi aliquo principio deducta veriſimilis ratio legis immunitatem tribuit, ac ſecuritatem præſtat, ſed ſtudioſa, ac diligens juſſorum Domini auſcultatio excuſatos nos coram DEO reddit: & ubi certa veritas haberi nequit, ei propius accedens ratio, etiam ſi forte labi nos contingat, tamen erroris inculpati veniam merebitur. Quando autem in id animum admoverimus ſemel, quod minus probabile præ probabiliori amplecti liceat, nihil jam intereſt, ſi conſequenter loqui velimus, quanti ponderis ſit Probabilitas, jam enim ad probabiiitatem non ad veritatem attenditur. Si enim Probabilitatem unice ſpectamus, quælibet ſuſcipi debet. Quare CARAMUEL, & qui eum ſecuti ſunt, in eo non eſt culpandus, quod Probabilitatis metas latius prorogarit: ita enim omnino faciendum eſt, ſi Probabiliſmus ſemel admittitur. Hinc mihi placet annotatio, quam CARAMUEL ipſe ad primam operum ſuorum editionem affixit: *Ea*, inquit, *multarum opinionum hucuſque probabilium, & aliarum hucuſque improbabilium neceſſariam connexionem oſtendit, eamque, ut vel rejicerentur priores, vel admitterentur poſteriores, toti orbi literario propoſuit.* Ex iſtis denuo liquet, quam exiguus numerus

rus eorum ſit, qui vere Probabiliſmi aſſertores ſint, & potius plurimi aliud re tenuerint, aliud verbis docuerint. Pauci enim eo delapſi ſunt opinando, quo Probabiliſmum deducere nunc oſtendimus, atque etiam poſtquam ſummorum Pontificum ALEXANDRI VII. & INNOCENTII XI. licentiam iſtam reſtrinxit auctoritas, non adeo exceſſerunt, qui Probabiliſmum profitentur, præſertim ſi ad regulas ſingulares attendamus, quibus hanc doctrinam circumſcripſerunt.

Societatis JESU circa Probabiliſmi ortum & defenſionem ſtudia & ſententia.

IX. Hoc autem plurimum valet ad excuſationem inclytæ Societatis JESU, quæ ob Probabiliſmi defenſionem in invidiam eſt vocata. Nuperrime apud nos graves lites ſunt motæ P. *Franc.* NEUMAYR ob concionem ſacro e ſuggeſtu habitam in defenſionem Probabiliſmi, ac Societatis JESU. Res non ſolum ſcriptis ultro citroque fuit agitata, verum etiam zelum commovit eccleſiæ præſulum, ipſiusque Romani Pontificis CLEMENTIS XIII. a quo publico edicto ſeu bulla concio eſt proſcripta, generatimque notatæ in ea propoſitiones *reſpective ſcandaloſæ, pernicioſæ, temerariæ, & piarum aurium offenſivæ.* Jam ſupra retulimus, Probabiliſmum ut præcipuum politicæ Jeſuiticæ robur & fundamen-

tum MONTALTIO ſuſpectum eſſe, quo ſe poſſint omnium, quorum conſcientiæ moderantur, ingenio accommodare, inſinuareque, libertate ſcilicet probabilibus pro lubitu utendi, ut hinc cum ſeveris ſeveri, cum mollibus molles, prout res ferat, eſſe poſſint. Probabilitatis aſſerendæ majorem Societatis JESU partem ſtudio teneri certum eſt, ſed injuria dicitur, eos hujus doctrinæ auctores eſſe: antequam enim ullus Jeſuita ad morum regulas tradendas publicis ſcriptis animum appulerit, jam communiter aſſerta eſt hæc doctrina. Multi e Societate JESU ſolliciti fuerunt, ut auctores Probabiliſmi ac fautores proderent, qui aut ante Jeſuitas ſuam mentem pro eo declararunt, aut etiam poſtea ex omnibus religioſis familiis, academiarum doctoribus eum defenderunt: celebris præſertim in hoc argumento Patris des CHAMPS libellus inſcriptus, *Quæſtio facti*, in quo expenditur, an doctrina de Probabilitate ſit Jeſuitis propria? Recenſet auctor academias totius Europæ celeberrimas, & omnium religioſorum ordinum ſcholas enumerat. Oſtendit, inter ſcriptores a Jeſuitis diverſos, qui quæſtionem de opinione probabili tractarunt, aut etiam delibarunt a centum annis, quorum indicem

Digitized by Google

dicem texit bene longum, uſque ad annum 1659. quo libellum hunc edidit, unum extitiſſe *Antonium* PEREZ, qui ab una hujus doctrinæ cæteris omnibus communis parte diſceſſerit. Addit auctor idem ac demonſtrat, doctiſſimos Societatis theologos magno conſenſu doctrinam illam arctioribus cancellis circumſcripſiſſe. Hæc nos *Cleandri* & *Eudoxi* dialogi docent, ubi multa ex P. des CHAMPS in medium proferuntur. Sed diffitendum non eſt, multos Probabiliſmi defenſores venditari, qui ab eo alieni quam maxime ſunt: itemque extra Societatem JESU maximum numerum eſſe, qui eidem patrocinentur, & ex Societate JESU fortes illius impugnatores prodiiſſe, ut adeo pro totius Societatis communi placito immerito habeatur. Res melius demonſtrari non poterit, quam ſi in hanc rem generalium hujus ordinis præpoſitorum animi ſententiam in medium afferamus. Hoc conſilio *Thyrſus* GONZALEZ (*a*) a.
inſigne opus labore multorum annorum compoſuit, deinde vero in Generalem ipſe electus publici juris fecit. Ipſum audiamus conſilii ſui rationem exponentem. *Quia ergo*, inquit, *videbam*

(*a*) De recto uſu opin. probab. Introd. ad lect. n. 38.

ſententiam benignam acceptam in illo ſenſu, in quo illam a veritate alienam in materia tanti momenti exiſtimabam, Societati quaſi propriam imputari, ideo, ut a Societate hanc invidiam amolirer, exiſtimavi nullum eſſe efficacius remedium, quam ſi e Societate prodiret liber dicatus Præpoſito generali, qui ex profeſſo impugnaret illam Probabiliſtarum ſententiam, & ſtabiliret oppoſitam: ſic enim evidenter cognoſceret orbis litterarius, non eſſe doctrinam propriam Societatis illam, quam operoſe impugnabat liber dicatus Præpoſito generali. Hoc conſilium deinde multo efficacius fuit, quando, ut diximus, ipſe generalis effectus hoc munus explevit, ita ut compilator operis P. Gonzalez apud P. Concinam fateatur, niſi remedium tunc fuiſſet oppoſitum ſerpenti opinioni, futuram eam propriam ſacræ familiæ, haud ſecus ac ſcientia media: quamvis conteſtaretur P. Gonzalez, ſe non agere tanquam Præpoſitum generalem, ſed ut unum e Societate theologum.
a. *Nullum*, ut ejus verba habent (*a*), *e ſubditis meis ad id docendum adſtringere intendens, ſed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac graviſſima controverſia eam partem defendant, quam poſt accuratum ſtudium ex ſincero deſiderio inve-*

ve-

(*a*) Loc. cit. n. 41.

veniendi veritatem ſuſceptum ſolidioribus fundamentis nixam deprehenderent. Conforme hoc erat decreto, quod a comitiis Societatis JESU, in quibus P. *Thyrſus* in præpoſitum generalem eſt electus, emanavit, quo declaratur, Societatem nec prohibuiſſe, nec prohibere, quo minus contrariam ſententiam tueri poſſent, quibus ea magis probaretur.

X. Aliorum vero etiam præter P. GONZALEZ Societatis JESU ſuperiorum mentem non eſſe, laxas & remiſſas morum regulas inducere, quæ ex probabilitatis commento naſcuntur, atque a talibus abhorrere, alter Præpoſitus generalis, qui P. GONZALEZ anteceſſit, teſtimonio eſſe poteſt, cujus verba digna ſunt, quæ hic locum nanciſcantur. *Vix*, inquit (*a*), *domum alicujus eccleſiaſtici intravi, cum me interrogavit, quid mihi videatur de periculoſiſſima & univerſali hac peſte? Si quæro, quam intelligant? confeſtim reſpondent, de confuſione illa extrema ſe queri, quæ in medio Catholicorum oritur ex frequentia opinionum, quas vocant probabiles: per has enim probantur hoc tempore uſuræ Zachæi, ambitio Simonis, violentia Eſavi, murmura diſcipulorum, concuſſiones Antiochi,*

Ab eorum præſertim ſuperioribus & præpoſitis declarata.

a.

(*a*) *Joh. Paul.* OLIVA, Tom. III. Conc. 29. p. 2.

tiochi, iniquitates ſcribarum, & excepta impudicitia Herodis, & crimine Amnonis, quæ nondum aperte laudantur, in nihilum rediguntur omnia, quæ in tabula Moyſis, & eccleſia fidelibus præcipiuntur. Hæc graviſſime OLIVA præpoſitus generalis Societatis JESU. Ante eum *Mutius* VITELLESCUS (*a*) eadem præditus dignitate inculcat, ac gliſcenti morum corruptioni ex opinionum probabilium conſectatione indignatur: *Nonnullorum,* inquit, *ex Societate ſententiæ in rebus, præſertim ad mores ſpectantibus plus nimio liberæ, non modo periculoſum eſt, ne ipſam evertant, ſed ne eccleſiæ etiam DEI univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntque, minime hac regula & norma in delectu opinionum utantur: tueri quis poteſt, probabilis eſt, auctore non caret: verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majorisque nominis doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere.* His tribus teſtibus omni exceptione majoribus aperte comprobatur, quam alienum ſit a Societatis JESU inſtituto morum, legumque laxamenta ex opinionum probabilium

(a) Ep. II. ad Superiores S. J.

lium electione invehere. Unde etiam liquet, quid de illis ſcriptis tenendum ſit, quæ circumferuntur, quibus artem hanc Jeſuitis familiarem eſſe aſſeritur, ut ex benignarum ſententiarum ſtudio aulas, animosque principum & magnatum lucrifaciant, occupentque, ac frequentem fidelis populi pro conſcientiæ exoneratione acceſſum, confluxumque captent. Non enim, ſi etiam tale quidquam cauſæ intercederet, Societati, ſed privatorum conſiliis tribuendum foret. Probabiliſmi vero impugnatores ex Jeſuitis egregii extiterunt, inter quos *Paulus* CAMITOLUS, antequam contentiones de hac re inter Janſeniſtas, & Jeſuitas ferverent: poſtea, præter *Thyrſum* GONZALEZ, cujus nos ſæpius cum laude meminimus, *Franciſcus* MALATRA, & P. GISBERTUS publicis lucubrationibus exploſerunt. Plerique vero cæteri, ſi P. GONZALEZ audimus, commodo illo, quem ſuperius explicuimus, ſenſu Probabiliſmum tuentur. *Noſtros enim plerosque*, verba ſunt P. GONZALEZ, (*a*) *qui dicunt licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minus tutam relicta probabiliore, & tutiore non loqui de opinione minus tuta, quæ ab*

(*a*) De rect uſ. op. prob. Introd. Lect. ad finem.

ab ipſo operante, ſpectata auctoritate, & ratione judicatur falſa, aut judicari poteſt falſa, quia veriſimilius illi eſt, falſam eſſe (in quo duntaxat ſenſu illam impugno) ſed loqui de opinione minus tuta, quæ ab ipſo operante prudenter judicatur vera, ipſique eſt probabilior ob momenta rationis, quamvis ſpecificative, & materialiter, & in communi æſtimatione ſit minus probabilis, quia pauciores pro ſe habet auctores graves ex iis,qui dicuntur facere opinionem probabilem. Imo fidenter aſſero, perpaucos fore in Societate theologos, qui diſtinctius interrogati, an liceat nobis in praxi ſequi opinionem probabilem minus tutam, quam judicamus eſſe falſam, vel falſam eſſe prudenter judicare poſſumus (momentis rationum, & auctoritatis gravius eo declinantibus) reſpondere audeant, id nobis licere, ſed pleroſque ſtatim reſponſuros, id nequaquam nobis licere. Hæc longius etiam ut adduceremus æquitatis amor, ſtudiumque in Societatem JESU in cauſa fuit, quam vade P. *Thyrſo* GONZALEZ libenter excuſatam video, quamvis is ipſe ex hoc numero excipiat P. *Martinum* ESPARZA, P. *Antonium* TERILLUM, P. *Matthæum* de MOYA, & P. *Joannem* de CARDENAS, quos fatetur Probabiliſmum defendere, non eo, qui modo declaratus eſt, ſenſu; ſed malo illo, quem ipſe

ipſe GONZALEZ, nosque cum ipſo damnamus, deteſtamurque.

XI. Allatæ a nobis auctoritates trium generalium præpoſitorum Societatis JESU manifeſtant quidem neutiquam ut proprium ſibi vindicare doctrinam probabiliſticam, quod non nemo apud P. CONCINA (a) dicere viſus eſt, Probabiliſmum eſſe principalem cardinem, quo obedientia ſui ordinis regatur. Quod ex dictis, quam ſit falſum, deprehenditur. Atque etiam ſapientiſſimæ conſtitutiones confirmant non ſemel renovatæ juxta primam illam, ac generalem (b): *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam, & eos auctores, qui eam docent.* Quamvis autem hæc conſtitutio ſubtilibus ratiunculis in transverſum queat accipi, quoad ipſam præciſe & abſtracte in ſe ſumtam Probabilitatis doctrinam; quoad id tamen, quod in doctrina morali ſpectatur, ſæpius Societas JESU providit, ut ex variis decretis, & conſtitutionibus, ac præcipue illa, quæ an. 1682. emanavit Congr. XII. ubi hæc decreto 28. habentur: *Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum præſertim in rebus moralibus abunde proviſum ſit, & præpoſitorum generalium ordi-*

Atque aliis modis demonſtrata.

a.

b.

(a) Storia del Probabiliſmo e del Rigoriſmo Diſſ. II. cap. ult. §. 25. n. 5. p. 548.

(b) P. 4. c. 5. n. 4.

Digitized by Google

ordinationibus, & ſuperiorum congregationum decretis, & conſtitutionibus ipſis, quibus jubemur ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magisque opprobatam doctrinam: in re tamen tanti momenti, poſtulante pro ſuo zelo patre noſtro, omniumque conſpirantibus votis nihil prætermittendum rata congregatio præſens decretorum, quibus novæ illæ, laxioresque opiniones doceri, typisque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confirmat. Quo quidem claret, quanta calumnia ſit, integro ordini tribuere, quod a privatis quibusdam contra ſaluberrimas conſtitutiones eſt peccatum, præſertim eo in curſu, ac veluti regno Probabiliſmi, quando undique applauſum habuit: illique, qui dextre uti eo ſua ſagacitate, & induſtria potuerunt, ſummis ſunt elati laudibus, uti vel unus *Antoninus* DIANA teſtimonio eſſe poteſt ad cœlum uſque ſublatus encomiis ob factum inſignem Probabiliſmi uſum, ac methodum facillimam, expeditiſſimamque hoc in ſtudio. Quam ob rem etiam TAMBURINO impoſita eſt a *Vinc.* CARAFFA Soc. JESU Præp. generali componendæ poſt *confeſſionis expeditæ* minus opuſculum, ſum̃am univerſalem totius moralis: eoquod magis methodus, quam ſententiæ univerſim probaretur. Qua in re non ita mihi illi

apo-

apologiſtæ Soc. JESU probantur, qui omnium opinionum in diverſis auctoribus reperiundarum in ſe defenſionem ſuſcipiunt, atque Probabiliſmum Societati JESU fere communem vindicant, ut P. *Honoratus* FABRI, GUIMENIUS ſeu P. le MOYA, & quidam alii fecerunt, quam qui oſtenderunt cum P. DANIELE, des CHAMPS, GONZALEZ, ELIZALDA, COMARGO, nec inventum, nec adoptatum a Societate JESU Probabiliſmum. Cum revera licet numero impares, auctoritate tamen, & doctrina non pares tantum, ſed etiam ſuperiores ſint Jeſuitici auctores, qui contra Probabiliſmum ſteterunt. Inter quos tres eminentiſſimi Cardinales BELLARMINUS, TOLETUS, & PALLAVICINUS: qui poſterior, licet in ſua theologia Probabiliſmum defenderit, poſtea tamen eum deſeruit, propoſitumque habuit publico ſcripto retractare, quæ in favorem illius prius ſcripſerat. Atque etiam P. ELIZALDÆ auctor fuit, una cum Pontifice, & ſuaſor, eum convellendi, ut ipſe ſancte confitetur. Cum vero complures alii e Societate JESU fuerint, qui calamum in Probabiliſmum ſtrinxerint, tum vero judice recentiori clariſſimo theologo *Laurentio* BERTI ex illis præcipui tales ſunt, qui ad-

Digitized by Google

adverſam partem adæquent auctoritate, & robore. *Iſtos vero*, inquit, *præſertim Bellarminum*, *Pallavicinum*, *Toletum*, *Comitiolum*, *& Gonzalez æquiparare poſſumus Jeſuitis cæteris univerſis.*

Paſtores eccleſiæ vix ulli Probabiliſmo ſteterunt, plerumque deſeruerunt, & impugnarunt.

XII. Quæ modo in favorem Societatis JESU dicta ſunt, non parum ad communem cauſam faciunt. Cum enim Jeſuitis inſtructio juventutis plurimum committatur, unde theologi, paſtoresque eccleſiæ enaſcuntur, quibus prima ætate imbuti ſumus, plerumque illis inhæremus. Non ſemper quidem hoc continget, attamen hac ipſa in re illud memorabile eſt, & cauſæ noſtræ bonitatem manifeſte prodit, quod magnus numerus eorum, qui juvenes, aut etiam diu in ſcholaſtico curſu provecti, contrariæ opinioni addicti fuerunt, cum poſtea clavum eccleſiæ tenere cœperunt, priorem ſententiam mutaſſe comperiantur, & vix reperias inter paſtores, præſulesque eccleſiarum, qui aliquando mentem ſuam pro Probabiliſmo declararint. Certe illi epiſcopi, quibus ſe jactat P. des CHAMPS, quod patrocinati fuerint Probabiliſmo, *Didacus* ALVAREZ, celeberrimus Dominicanæ cauſæ defenſor, ac poſtea Franienſis in regno Neapolitano epiſcopus, *Joſephus* ANGLEZ Bozanenſis in Sardinia, MALDERUS Antwer-

werpienſis, *Thomas* de ZEROLA, *Bartholomæus* LEDESMA, *Martinus* BONACINA, BARBOSA, omnes, inquam, hi epiſcopi, antequam ad ſacras infulas evecti eſſent, defenderunt Probabiliſmum, ut hinc citari non poſſint, ac ſi ut eccleſiæ paſtores locuti fuiſſent, etiamſi forte non retractarint priſtinam opinionem: cum habeamus econtra alios illuſtriſſimos, non unius particularis eccleſiæ epiſcopos, ſed toti eccleſiæ ſuſtinendæ conſtitutos viros Cardinales, qui prius Probabiliſmi defenſores, poſtea illius acerrimi hoſtes extiterunt.

XIII. Sunt hi imprimis eminentiſſimi PALLAVICINUS, & AQUIRRE: prior etiam publico ſcripto diſpungere, quæ prius ſuo de actibus humanis tractatu pro Probabiliſmo ſcripſerat, in animo habuit, ut P. GONZALEZIO conteſtatus eſt P. *Nicolaus Maria* PALLAVICINUS. Alter in præfatione conciliorum Hiſpaniæ, editionis a ſe adornatæ non ſolum mentem ſuam aperte prodit, ſed etiam omnium nationum Europæ, omnium celebrium ordinum, ac familiarum religioſarum, multorum eccleſiæ Præſulum, præſertim S. R. E. Cardinalium Probabiliſmum damnantium teſtimonia, & auctoritatem producit. Ejus orationem hic referrem, ſi hoc ante me

Præſertim eccleſiæ Rom. Cardinales.

jam alii non feciſſent, & alias illa cedro digna præfatio ſæpius recuſa in variis conciliorum editionibus reperiretur. Referam hic, quæ ille ea de re ad Mabillonium ſcripſit. (*a*) His adjungendus eſt Cardinalis Sfondrati, qui non ſolum in diſputatione juridica *De lege in præſumtione fundata*, quam edidit Salisburgi 1681. dum eſſet SS. canonum Profeſſor, Probabiliſmum impugnavit; verum etiam in libro *Regale ſacerdotium* inſcripto, quem ſub nomine Eugenii Lombardi edidit, vocat Probabilitatem miſerum opinandi præſidium, quo in ſcholis nihil incertius. *Tantas,*

(*a*) Non dubito gratam fuiſſe illuſtriſſimo Remenſi archiepiſcopo præfationem illam meam ad novam conciliorum Hiſpaniæ collectionem, in qua Probabilitatis commentum antiquis Patribus & gravibus theologis ignotum, uſque ad finem fere præcedentis ſæculi, rejicio, quamvis obiter ſolum. Vellem illud latius, atque ex inſtituto refellere: ſed impedior occupationum onere, & litterarum multitudine innumerabilium, quæ vix me reſpirare ſinunt. Præterea eam provinciam in ſe plures viri præſtantes receperunt, a me laudati eo loco. Inſuper modo e prælo prodibit liber R. P. Generalis Thyrsi, quem fere omnes avide exſpectant, iis exceptis, quibus monſtrum Probabiliſmi placet, & jam diu alte inſedit potius cordi quam menti. *Epiſtola Card. d'Aquirre ad Mabill. T. I. Poſthum. p.* 428.

Digitized by Google

tas, inquit l. c. in *eccleſiam*, *mores*, *legesque omnes corruptelas induxit*, *ut ſæpe interdicta*, *execrationesque Romani Pontificis provocaverit*, *nullamque fere humanam divinamque legem reliquerit non aliquo abuſu fœde corruptam*, & *ultimum fallat augurium*: *huic opinandi licentiæ niſi remedio aliquo eccleſia occurrat*, *vix credimus alio malo*, *elapſis retro ſeculis gravius afflictam eſſe*, *cujus tot indicia*, & *prognoſtica experimur omni in commerciis*, *fœderibus*, *juramentis*, *judiciis*, *præceptisque ſublata ſinceritate*, *idque opinionum probabilium præſidio*, *quibus tot æquivocationum*, *reſtrictionum*, *tergiverſationum ludibria debemus in hoc unum elaborante ingenio*, *ut via voluptatibus pateat*, & *virtutes*, *legesque honeſto exilio proſcribantur.* Taceo alios S. R. E. Cardinales CAJETANUM, BELLARMINUM, LAURÆAM, JANSON, GRIMALDI, CAMUM, cum horum recenſendorum opera jam perfuncti ſint Emin. AQUIRRE, & P. *Thyrſus* GONZALEZ. Quibus omnibus noſtris his temporibus adjungi debet Emin. GOTTI, qui T. VII. ſuæ Theologiæ Probabiliſmum late exploſit: ut adeo Cardinales conſpiraſſe videantur ad commentum Probabilitatis ab eccleſiæ finibus proſcribendum. Quare non dubito Cardinales VIVAM, & LUGONEM idem præſti-

turos fuiſſe, ſi occaſio ſe obtuliſſet. Quamvis prior labore ſuo in Propoſitiones damnatas, alter adverſus CARAMUELIS, aliorumque licentiam, morum reſtitutionem juverint. Neque vero Cardinales ſolum contra hanc doctrinam vexillum erexiſſe, ſed etiam aliis ad idem faciendum auctores hortatoresque fuiſſe, inſigne exemplum AQUIRRE in *Baltaſare* de MOSCOSO, & SANDOVAL Cardinale, & archiepiſc. Toletano adfert, qui tribus celeb. Præſulibus D. *Facundez* de TORRES, poſtea Primati Novæ Hiſpaniæ, piiſſimo *Joanni* de PALAFOX & *Ludovico* CRISPI Probabiliſmi exagitandi conſilium ſuggeſſit. Quod ſi animus eſſet, alios eccleſiæ præſules in hanc rem citare, magnus eorum numerus accreſceret: unum, alterumque celebrius teſtimonium ſolummodo recitabo.

Et clerus Gallicanus.

XIV. Inter hæc totius cleri Gallicani tria inſignia adverſus corruptores morum ſpecimina curæ paſtoralis, hic locum merentur: unum ediderunt medio ſuperiori ſæculo ad ſuplices libellos a parochis Pariſienſibus, Rotomagenſibus, Senonenſibus, Bellovacenſibus, Ambianenſibus, aliisque oblatos; quorum votis annuentes illuſtriſſimi regni Gallici epiſcopi Probabiliſmi dogma declararunt temerarium, & periculoſum

eſſe,

eſſe, omnium perturbare morum diſciplinam, avocare mentem ab inquiſitione, & inventione veritatis, corruptæ naturæ cupiditatibus obſequi, alienum eſſe a ſimplicitate chriſtiana, pugnare cum tradita ab apoſtolis doctrina, ac tandem poſtremis hiſce temporibus a mendacii parente eo conſilio inventam fuiſſe, ut omnia evangelii præcepta eluderet, & carnalibus ingeniis, chriſtianæ doctrinæ, propriæque ſalutis ſupremum arbitrium permitteret. Alterum cleri Gallicani adverſus corruptam morum doctrinam monumentum in litteris ad INNOCENTIUM XI. continetur, ex quibus aliqua hic excerpta dabimus. *Augeſcenti*, inquiunt, *in dies improborum multitudini adjunxit ſe certorum ſcriptorum inprovida temeritas*, *quibus id demum videtur fuiſſe propoſitum*, *fovere hominum cupiditates*, *extinguere conſcientiæ morſus*, *deſerendi peccati ſtimulos evellere*, *iter ad vitia ſternere*, *eadem peccatis*, *quæ virtutibus*, *tenebris*, *quæ luci*, *falſitati*, *quæ veritati jura tribuere*, *ſceleribus denique formidinem*, *pudorem*, *&* *infamiam*, *ipſum ſceleris nomen detrahere &c.* Nec hoc ſatis erat zelo ipſorum, ipſa etiam doctrinæ moralis monſtra collecta obtulerunt eadem epiſtola: ex quibus majorem partem poſtea ſummus Pontifex

Digitized by Google

proſcripſit. Eædem querelæ de morum depravatione legi poſſunt in epiſtolis antiſtitum Gallorum ad URBANUM VIII. archiepiſcopi Senonenſis ad Cardinalem BARBARINUM &c. Omnium vero luculentiſſimum argumentum, & quod huc præprimis ſpectat, primo præſentis ſæculi anno ſui erga reſtaurandam chriſtianorum morum integritatem ardoris dederunt. Non ſolum damnarunt corruptam doctrinam, verum etiam regulas conſtituerunt, quæ in electione opinionum probabilium uſui eſſe debeant, ſunt autem iſtæ: *Primum, ajunt, ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius, ſive quod eſt eo in caſu unice tutum: neque id conſilii, ſed præcepti loco habeamus, dicente ſcriptura:* Qui amat periculum, in illo peribit: *hæc prima regula. Altera, ut circa probabiles de chriſtiana doctrina ſententias ſequamur id, quod Viennenſe æcumenicum concilium circa infuſas tam parvulis quam adultis in baptiſmo virtutes decrevit his verbis:* Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam & concordem duximus eligendam. *Quod concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere conſtat, quo*

ma-

magis ex ipſis fidelium ſanctitas ac ſalus pendet. Ex hac igitur regula fit conſequens, primum ut in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata ſpectantibus, theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas ſanctis Patribus tradant ſententias. Deinde ut ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit. Quod ergo in praxi eam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus poſtremo demum ſæculo proditum, & ab iisdem pro morum regula poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato: Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus: *nec habere poteſt chriſtianæ regulæ ſecuritatem. Hoc initium malorum eſſe, atque omnium ante dictarum corruptelarum caput, & doctrinæ conſecutio, & ſeries temporum oſtendit. Hoc ab anteceſſoribus noſtris viris fortibus ac religioſis cenſorie notatum, hoc ſæpe reprehenſum, hodieque reprehendi nullo incuſante, imo bonis probantibus diffiteri nemo poteſt. Nos quoque iis de cauſis has novas ſententias, in ſalutis negotio periculoſas, re diligenter inſpecta, ſumma ope*

 ca-

Digitized by Google

caveri ac prohiberi cenſuimus ac cenſemus. Placeat autem illa prudentia, ut ante omnia cuſtodiamus, & in tuto collocemus id, quod unum eſt neceſſarium, fiatque illud dominicum, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, *qui protecto, quod præcipuum eſt, capite, ſibi conſulunt: neque quisquam in dubio ſalutis ad actum proſiliat, niſi ipſo dubio non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis inſtinctu, ſed ex recta ratione depoſito, dicente ſcriptura:* Rationabile obſequium veſtrum: *Et iterum:* Sapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit. *Poſtremo audiatur apoſtolicum illud:* Omnia probate, quod bonum eſt tenete: *& iterum:* Omne, quod non eſt ex fide, *id eſt ex conſcientia, ſive ex perſuaſione*, peccatum eſt: *Denique:* Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, *non aliorum utique, ſed ipſorum, & ſua.* His omnia complexi ſunt præſules iſti, quæ ad exagitandum Probabiliſmum facere poſſunt, quibus ſi quædam addiderimus ex epiſtola paſtorali archiepiſcopi Rotomagenſis, nihil amplius deſiderari queat. *Hac doctrina, inquit, diſcrimen omne veri & falſi tollitur e vita chriſtianorum .... Eadem opiniones contradictoriæ proponuntur tanquam probabiles propter diverſos auctores, qui eas defenderunt, & tanquam æqua-*

qualiter ſecuræ in praxi, etiam iis, qui eas in ſpeculatione falſas judicent; eadem cuivis permittitur a veritate nota absque prævaricationis ſcelere diſcedere. Scilicet frivolis diſtinctionibus certitudinis practicæ, & certitudinis ſpeculativæ, ſperant benigni divinæ legis interpretes placare angores conſcientiæ juſtiſſimos, & pacem animis afferre, quam natura pariter & religio reſpuunt. Denique ope Probabilitatis humana ratio, quantumlibet peccati labe corrupta ſit, chriſtianarum actionum ſit regula: Via, quæ videtur homini recta, nunquam ducit ad mortem; doctores etiam cum a vero longiſſime aberrant, ad regendum fiunt optimi duces, nec jam timendum eſt, ne ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant, dummodo cæcus ille dux auctoris gravis famam adeptus ſit. Judæi tuto potuerunt falſas magiſtrorum ſuorum traditiones ſequi: quin & latam a doctoribus ſuis contra Chriſtum damnationis ſententiam judicare probabilem, atque adeo ipſi, ſalva conſcientia, aſſentiri. Si hæc, quæ Probabilitatis doctrinam neceſſario conſequuntur, juſtum vobis horrorem incutiant; ſi vel ſola novitas hujus doctrinæ, quam hactenus ignotam chriſtiano mundo ultimi ſæculi ignorantia peperit, in dedecus & perniciem religionis ipſam repudiare cogat, intuenti, quam indigne homines ea

abuſi

Digitized by Google

abuſi ſunt, clarius patebit, quam ſit neceſſarium, ne iſtius contagio doctrinæ longius ſerpat atque progrediatur, præcavere. Placuit numeroſo recentium Caſuiſtarum gregi, verendam ſcripturæ ſacræ, & SS. Patrum auctoritatem deſerere, ſuas ut ipſorum privatas adinventiones, vel fabricata recenter novorum doctorum commenta ſequerentur. Evanuerunt illi in ſuis cogitationibus, eoque cæcitatis devenere, ut auſi ſint tueri palam opiniones, non religioni ſolum, ſed ipſi etiam naturæ contrarias; nec puduit chriſtianos homines perniciosiſſ hiſce opinionibus, tanquam maxime tutis, ope Probabilitatis pondus, & auctoritatem addere, quas cum horrore ethnicorum hominum ſapientia reſpuiſſet. Alia deinceps addit contra eos, qui conſulti putant ſe poſſe reſpondere ſecundum opinionem probabilem, aut confeſſarios teneri abſolvere, ſi pœnitens ſequatur opinionem, ab aliquot doctoribus defenſam, quamvis & conſulti, & confeſſarii opinionem falſam putant.

Univerſimque eccleſia Romano-catholica in ſuis judiciis nunquam

XV. His ſi addas quod de Romanis Pontificibus *Paulus* COMITOLUS habet, in eorum reſponſis, cum de eadem re duas contrarias ſententias explicaverint, eos probabiliorem ſemper eſſe amplexos: quod de Cardinalibus Emin. AQUIRRE teſtatur, eos ſuis in congregationibus

bus ſemper, quod probabilius videatur, ſequi: quod denique de omnibus eccleſiæ paſtoribus fere confidenter aſſeri poteſt, nunquam ipſos paſtorali aliqua auctoritate Probabiliſmum defendiſſe: quivis facile conjiciet, quid reſpondendum ſit ad id, quod adverſarii jactare ſolent, ac ſi neceſſum ſit fateri, DEUM eccleſiam per ſæculum, quo hac doctrina communis erat, deſeruiſſe. Præterquam enim, quod exiguus numerus ſit Probabiliſtarum, eo modo, quo in crimen vocantur, ut ſuperius oſtendimus: nunquam eccleſia oſtendi poteſt huic doctrinæ detuliſſe, aut eam approbaſſe.

Probabiliſmo faventibus.

XVI. Poſt hæc omnia, quæ hucuſque ſunt prolata, audeant Probabiliſtæ ad multitudinem auctorum provocare, qui ſecum faciant, atque hinc doctrinam ſuam communem omnibus, adeoque moraliter certam vocare: confiſi numero aliquo privatorum, obſcurorumque doctorum, qui nihil penſi habito tum veteris, tum novæ eccleſiæ conſentiente, conſtantique ſenſu, novum dogma invexerunt, nixi principiis quibusdam corruptæ rationis, abjectis locis theologicis, ex quibus vera theologia inſtaurari debet. Quare hic vel maxime locum habet, quod DEUS olim (*a*) conqueſtus

Unde fons & origo Probabiliſmi vera patet corrupta ratio, non auctoritas ſacra.

a.

eſt:

(*a*) Jerem. II. 13.

Digitized by Google

eſt: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,*
& foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipa-
tas, quæ continere non valent aquas. Ut
adeo infauſta proles ſcholaſtices illius
habendus ſit Probabiliſmus, quæ relictis
locis vere theologicis humano ingenio,
rationisque principiis luxuriatur. Ex eo
illud etiam claret, contrarias, adverſan-
tesque ſibi Rigoriſtarum, & Molliſtarum
ſectas contrariis ab originibus prodiiſſe.
Illis ne latum quidem unguem ab anti-
qua traditione, diſciplinaque abſcedenti-
bus; his omnem traditionem, diſcipli-
nam, ac doctrinam eccleſiæ flocci pen-
dentibus. Illis nonniſi certa, & explo-
rata ambientibus, his quamcunque veri
ſpeciem, utut fallacem, amplectentibus.
Illis omne rationis arbitrium ſpernenti-
bus, his ei rem totam deferentibus. Cum
tamen DEI ſingularis providentia, &
erga humanum genus clementia doctri-
nam cœleſtem revelaverit, *Multifariam,*
a. *multisque modis*, ut PAULI (*a*) verbis utar,
olim loquens patribus in prophetis: noviſ-
ſime diebus iſtis locutus nobis in Filio, evan-
gelii doctrinam patefaciens, cujus du-
catu ratio ſuapte natura in malum decli-
nans, concupiſcentia, ignorantiaque in
transverſum agi ſueta, in officio, rectaque
ad vitam via contineatur, tandemque ho-
mo

(*a*) Heb. I. 1.

mo regni cœleſtis hæreditate donetur; ſi evangelicum tramitem a Patribus tritum inceſſerit, nec corruptæ naturæ obſecundarit. *Quia*, inquit S. THOMAS (*a*) *propter incertitudinem humani judicii, præcipue de rebus contingentibus, & particularibus, contingit, de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa judicia, ex quibus etiam diverſæ, & contrariæ leges procedunt. Unde ergo homo absque omni dubitatione ſcire poſſit, quid ei ſit agendum, & quid vitandum; neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat, quod non poteſt errare.* Sed de his jam amplior patet dicendi campus. a.

CAPUT V.

Quam labili ac fallaci fundamento, quam infirmis principiis nitatur Probabiliſmus.

I.

Quæ modo de fonte, & origine Probabiliſmi perſtrinximus, opportune nos commonefaciunt, ac quaſi manuducunt ad infirmitatem eorum principiorum prodendam, quibus inducti ſunt,

Morum corruptela, & doctrinæ moralis poſtremis temporibus.

(*b*) De leg. q. 91. a. 4.

Digitized by Google

ſunt, qui Probabiliſmi, indeque enaſcentis indulgentioris morum doctrinæ patrocinium ſuſceperunt. Primum fuiſſe exiſtimo graſſantem morum pravitatem, ac perverſam hominum indolem, quæ aſperioris jugi impatiens timorem incuſſit, ne penitus humeros oneri excuterent, ſi paulo gravius injiceretur. Jam enim ea infauſta tempora ingruiſſe ſunt viſa, de quibus Chriſtus in evangelio, Paulus ad Timotheum (a) vaticinatur: *Hoc autem ſcito*, inquit, *quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm DEI.* Videmus his temporibus non ſolum vitia iſta palam obtinuiſſe, ſed etiam chriſtianos doctores nonnunquam palpitaſſe illa, fucumque feciſſe. Quis enim non credat, eos fovere proprium amorem, qui homini omnia propriæ utilitati conſecrare (ac ſi ſibi ſolis nati eſſent) largiuntur: cupiditatem, qui varias vias excogitant, ut alienis opibus quis diteſcat, uſuris, variisque malis artibus: elationem, & ſu-

(a) 2. Tim. III. 2.

ſuperbiam, qui faſtum, luxum, ambitionemque facile condonant, tanquam vitia, quæ nimis altas radices egerint, quam ut extirpari poſſint: blaſphemiam, qui canones eccleſiaſticos contra blaſphemos inutiles reddunt, perjuria reſtrictionibus mentalibus permittunt: obedientiam parentibus, ſuperioribusque debitam, qui ad eludendas leges mille exceptiones excogitant: ingratum animum, qui a DEO in libertatem ſervorum ſuorum vindicati neſcio quam humanam libertatem fingunt, ut ſe legis vinculis ſolvant: impietatem in DEUM, qui ſimoniæ latas januas aperiunt: animi amaritudinem, & livorem, qui homines ſibi ſoli, propriisque commodis indulgere faciunt: diſcordias, qui pœnam talionis, duellaque permittunt: criminationes, qui ob detractionem calumniandi, falſumque etiam imponendi crimen facultatem dant: incontinentiam, qui meretricum mercedem æquam ſtatuunt, peccata etiam contra naturam palpant: crudelitatem, qui vindictam paſſim licitam faciunt: immiſericordiam, qui eleemoſynæ obligationem tollunt: proditionem, qui occidendi facultatem etiam per inſidias largam dant non ſolum in privatas, ſed etiam publicas perſonas: protervitatem, qui homines ad

quidvis audendum propellunt, ſi non manifeſte legi divinæ contrarium deprehenditur, levisque aliqua ratio affulget contra longe graviores contrarias: tumorem, qui nobilium, eorumque virorum, quos honoratos vocant, levem offenſionem, offendentis vita privata auctoritate vindicandam putant: voluptatum amorem, qui laſciviæ, gulæ, vanitatum, ac illecebrarum frena laxant. Pronum eſſet horum exempla afferre, ſi per otium, ac præſens inſtitutum liceret ad omnia ſeſe diffundere. Sed vigilantiæ ſummorum Pontificum in acceptis referimus, quod pleraque ſcelerum culcitra e medio ſublata ſint. Nec deſunt aliorum piorum paſtorum, doctorumq; ſtudia adverſus eos, qui corruptæ naturæ palpantur, ut peſtilenti morbo pejus remedium afferant. Natura humana peccato infecta ad malum prona ruit: quis ferat labentem non cohibere? cum tantopere a morum pravitate alieni antiqui illi fuerint, qui vitæ ſimplicitate non natura diverſi a nobis fuerunt, antequam etiam gratiæ per Chriſtum ubertas advenit: *Faſtidium laboris*, verba ſunt abbatis FLORII (*a*) in deſcribendis hominum mori-

(*a*) Ce mepris du travail, cet amour du jeu, cette autorité des femmes, & des jeunes gens, cette averſion de la vie ſimple & fru-

moribus veteribus egregie verſati, *amor ludorum, licentia, auctoritasque mulierum, ac juventutis, animi averſio a vita ſimplici & frugali tam diverſos nos ab antiquis reddit. Paſtores illi, ac viri laboribus aſſueti, de quibus in antiquis hiſtoriis, apud quos tam exiguus argenti uſus, ac rara ampla fortuna, opesque; meliores chriſtiani fuiſſent, aptioresque, quam noſtrates aulici &c.* Idem poſt aliquas paginas, *Parcius*, inquit (*a*), *de rebus malis cogita-*

H 2 *tio*

gale, qui nous rende ſi differens des anciens: de ces paſteurs, & de ces laboureurs, que nous voyons dans leurs hiſtoires, chez qui l'argent étoit de ſi peu d'uſage, & les grandes fortunes ſi rares: on en fait plus aisément de bons chrétiens, que de nos courtiſans, de nos praticiens, de nos financiers &c. *M. Fleury les Mœurs des Iſrael. p.* 4.

(*a*) Ils penſoint moins de malfaire. Car leur vie ſimple & frugale ne donnoit pas occaſion a de grandes dépenſes, ni a de grandes dettes. Par conſequent il y avoit moins de procés, de ventes de biens, de renverſemens de familles, moins de fraudes, violences, & de tous les crimes, que la pauvreté vraye ou imaginaire fait commettre, faut de vouloir, ou de pouvoir travailler. Le pis eſt, que l'exemple des riches & des nobles, entraine tous les autres, & fait, que quiconque ſe croit tant ſoit peu au deſſus de la bie de peuple, a honte de travailler, ſur tout a la terre. De la viennent, tant d'efforts pour

tio incidebat, minusque maleſacere eorum intererat. Simplex namque eorum, ac frugalis vita ad magnas expenſas faciendas, aut grandia debita contrahenda occaſionem nullam dabat. Idcirco non tot lites, bonorum venditiones, ruinæ familiarum, fraudes, vis ac violentia; denique minus omnia ea ſcelera timenda, in quæ vera, aut efficta indigentia & paupertas projectos nunc facit. Peſſimum enimvero eſt, quod divitum ac nobilium exemplum cæteros omnes ſeducat, faciatque, ut, qui ſe paulum ſupra plebis fecem evectum cernit, eum laboris ſuſcipiendi, maxime colendæ terræ pudeat; unde tanta illa ſtudia hominum ad vitam honeſta opera traducendam: tot novæ artes & induſtriæ, quæ quotidie excogitantur, ut perpetua viciſſitudine ab uno ad alterum pecuniæ migrent, perveniantque.

Ob neglectam evangelicam vivendi formam & antiquam normam morum.

II. Hæc Florius de vita antiquorum Iſraelitarum laboribus aſſuetorum. Quid ſi ad antiquos chriſtianos oculos convertamus, præſtantia ſanctitatis, innocentiæque facies unde orta? Nimirum ex vita ad evangelium exacta. An vero non eodem modo, & nos evangelio adſtricti ſumus? An jam ceſſavit evan-

ſubſiſter d'induſtrie, tant de nouveaux artifices, que l'on invente tous les jours pour faire paſſer l'argent d'une bourſe à l'autre.

evangelica lex, quod ei ſe ſubdere hominum perverſitas detrectet? *Verbum Domini manet in æternum:* ſuum uſque ad conſummationem ſæculi evangelicis præceptionibus manebit inconcuſſum robur. Neque evangelium ad hominum ſtudia accommodari debet, ſed hæc ad illius leges congruant, oportet. Atque inde jam liquido conſtat, easdem nunc, ac olim debere eſſe morum regulas: nec poſſe ea præcepta de contemtu voluptatum & rerum temporalium, de carnis mortificatione & pœnitentiæ fructibus ulla conſuetudinis diuturnitate tolli, cum ea DEUS in æternum rata eſſe voluerit; non attentis temporum noſtrorum malis, quibus exiſtunt homines voluptatum amatores magis quam DEI, habentes ſpeciem pietatis, quadam nimirum exterioris cultus obſervatione, virtutem autem ejus abnegantes. Neque in his eccleſia quidquam aliquando immutavit, aut immutare potuit, quamvis in rigidioribus nonnullis diſciplinæ capitibus aliquid remiſerit. Jure ergo a clero Gallicano illa quorundam recentiorum opinio, qua volebant omnia hodie eſſe melius examinata, & ob hanc rem in omni materia, & præcipue in morali potius juniores, quam antiquiores audiendos, damnata tanquam teme-

Digitized by Google

raria, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, SS. Patribus, & antiquis doctoribus contumelioſa, ſpreta in moribus chriſtianorum componendis neceſſaria ſcripturarum ac traditionis auctoritate, & interpretatione, moralem theologiam arbitrariam facere &c. Unde etiam reſponſio in promtu eſt ad illud *Theophili* RAYNALDI, aliorumque, qui lapſu temporum ſicut in fidei dogmatibus, ita in morum regulis omnia magis excuſſa edolataque contendunt. Verum id eſſe poteſt, ubi ad verbum divinum, legemque evangelicam cauſæ diſcuſſæ ſunt: non autem in illis, in quibus, relictis veræ theologiæ principiis, corruptæ naturæ velificatum eſt, ubi futiles rationes in ſubſidium vocatæ, dum humana ratio ſibi relicta non poteſt non hallucinari, atque in turpes errores, ſuperſtitioneſque prona ruere.

Nova inducta theologia principiis rationis & naturæ corruptæ nixa.

III. Quantum autem a recentioribus morum arbitris in hac re peccatum ſit, nemo neſcit. In tanto enimvero fontium, locorumque theologicorum neglectu quid aliud ſperandum fuit? Quod ego mecum reputans, ſemper laboravi ſtudium theologicum ad ſuos revocare limites, nec rationi humanæ dominatum in eo permittere, cum ob ejusdem corruptionem DEUS ſingulari

pro-

Digitized by Google

providentia doctrinam ipſe ſtatuerit. Quod ſi etiam theologi recentiores majus antiquitatis ſtudium ſuſcepiſſent, qualisque antiquorum chriſtianorum ex chriſtiana lege morum forma diligentius perquiſiviſſent, non tantam morum induxiſſent indulgentiam. Namque, ut probe a Meldenſi epiſcopo *Benigno* BOSSUETO eſt animadverſum, nullum præſentius remedium contra diſciplinæ laxamenta, quam repræſentatio morum PP. veterum ſcilicet chriſtianorum. Sed quoniam hodie theologorum vulgus ſubtilitatibus ſuis implicatus, etiam hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudium omiſit, mirum non eſt, ſi verum diſcrimen morum antiquorum a hodiernis non adverterunt plerique. Ne hæc mea ſenſa aliquis eſſe putet, teſtes aliquos graves, qui noſtra memoria vixerunt, citabo. Primus ſit Abbas FLORIUS, cujus auctoritate antea jam ſumus uſi, qui ignorantiæ morum antiquorum præcipue tribuit morum remiſſionem: *Facile*, inquit, *eſt auctoritatem quibuſvis operibus invenire, conciliareque, ubi antiqua facta ignorantur, hac ignorantia factum, ut res antiquæ oblivione ſepultæ pro novis haberentur, fidem eandem fecit, auctoritatem hodiernorum doctorum in praxi multo ſecuriorem eſſe, quam antiquorum, quorum mores confuſo quo-*

dammodo diverſi a noſtris credebantur, poſthabita diſquiſitione, an diſcrimen in eo conſiſtat, quod chriſtiano neceſſarium, aut indifferens, uti ſunt habitus, lingua. Et quoniam quivis ſibi libertatem indulſit, novas, cum libuerit, procudendi quæſtiones, novasque ſubtilitates inveniendi; tandem Caſuiſtæ emerſerunt, qui moralis doctrinæ fundamentum potius in ratione humana, quam ſcriptura, & traditione poſuerunt; ac ſi Chriſtus non etiam omnem ſicut fidei, ita morum veritatem docuerit: hæcque adhuc in veteribus philoſophis requirenda foret. Alter eſt doctiſſimus Graveson,
II. qui in ſua Hiſtoria eccleſiaſtica (*a*) prolixus eſt in carpenda corrupta morum diſciplina, ejusque duas potiſſimum radices ſtatuit. Primam petit ex inſolito docendi modo, quo, neglecto ſcripturæ ſacræ, & SS. Patrum doctrinæ ſtudio, plus rationi in proponendis, vel dirimendis quæſtionibus ad mores ſpectantibus delatum eſt, quam tribuendum fuiſſet. Quando autem ad ſcripturæ ſacræ oracula, decreta ſummorum Pontificum, SS. Patrum doctrinam, ſacrosque canones caſu ventum, eorum rigorem pro arbitrio inflexum, emollitum, atque ad præſcriptum rationis accommodatum eſſe mille adhibitis diſtin-

(*a*) Tom. VIII.

Digitized by Google

ſtinctiunculis, & exceptionibus. Alterum moralis corruptæ fontem inde GRAVESON deducit, quod Caſuiſtæ divinam legem moribus applicuerint (cum contra mores ad legem DEI componere, ac exigere debuerint) cauſantes naturæ labefactatas, acciſasque vires. Tertius hujus rei teſtis ſit Cardinalis LAURÆA, qui ſtudioſe in cauſas corruptæ morum doctrinæ indagatus hanc ipſam reperit. *Cogitanti mihi*, inquit, (*a*) *undenam haud* a.
multis abhinc annis tanta circa morales doctrinas, nec non & judicia in chriſtianum orbem irrepſerit laxitas, effreniſque in privato quolibet opinandi, & ad utramque ſaltitandi libido; feliciter occurrit, id inde ſumſiſſe exordium, quod Spiritus ſancti contemto magiſterio, narrationes patrum noſtrorum prætereuntes, propriæ innixi prudentiæ noſtris nimium indulgeamus affectibus: nec amplius ad amuſſim lapidem, juxta philoſophi præceptum, ſed ad lapidem amuſſim aptare contendamus: non, inquam, legi voluntatem ſubjicimus, ſed legem ipſam ad voluntatem trahere non formidamus.

IV. Hinc enatum eſt illud fictitium libertatis principium, quæ tamdiu in poſſeſſione ſit, donec de lege conſtet.

Neſcio qua præſcriptione & libertate contra legem.

(*a*) Card. *Brancadus* de LAURÆA prælim. Epit. canon.

Quod eouſque deduxit CARAMUEL in noviſſima etiam operum editione integro de *Non-certitudine tractatu*, ut contendat, tamdiu eſſe hominem in poſſeſſione libertatis ſuæ, donec de legis obligatione certus fiat. Diu CARAMUEL fundamentum libertatis in Probabilitate conſtituit; ſed poſtea ſibi viſus melius ſapere Non-certitudinem legis ſtatuit, quæ doctrina conſectariis etiam pejoribus expoſita eſt, quam ipſum probabilitatis dogma. Sed quam falſum ſit hoc principium, tum ex hucuſque dictis patet, tum ex eo eluceſcit, quod quam primum in chriſtianos adoptamur, legis chriſtianæ ſacramento obſtringamur, initiemurque, unde tota noſtra libertas ſervitus Chriſti eſt, ac DEI charitas. Et certe Caſuiſtæ non negant, nec poſt fulmen Vaticanum poſſunt abnuere, quando charitas proximi lædenda foret, damno in alterum, aut injuria emergente, non poſſe nos niſi probabilius ſectari. Quando autem de injuria DEO ejuſque legi inferenda diſceptatio eſt, aliter ac mitius ſentiendum putant perverſitate ſumma, ut quando hominum utilitas agitur, ſecurius non niſi, & probabilius ſequamur, cum etiam res terrenæ, & utilitates temporaneæ periclitantur, ſed ad DEO ſuum redden-

dum

Digitized by Google

dum minorem cautionem adhibeamus. *Quomodo non abſurdum*, utar CHRYSOSTOMI (*a*) verbis, *propter pecunias aliis non credere, & ipſas numerare, & ſupputare, pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cum habeamus omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem, ac regulam, divinarum, inquam, legum aſſertionem. Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur, deque his a ſcripturis hæc omnia inquirite, & veras divitias diſcentes eas ſectemur, ut æterna bona aſſequamur.* Si ergo etiam illi juriſconſultorum principio aſſentiamur, in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis, utique divinæ legis poſſeſſio ſemper agnoſcenda, cui non uno titulo ſubjicimur. a.

Ac agendi licentia ad excuſanda peccata, & jugum Domini alleviandum.

V. Inquiunt jugum Domini ſuave eſſe, neque ullo modo poſſe levius evangelii onus reddi, quam hoc novo Probabilitatis dogmate, quo mirum in modum evangelicorum præceptorum gravitas relevetur, magnaque ſecuritas, & a multis peccatis immunitas præſtetur. Nullus CARAMUELE acutior in perſpiciendis probabilium opinionum commoditatibus. In epiſtola ad DIANAM, *Quibus*, inquit, *poſteriores* (ſententiæ beni-

(*a*) In c. 7. epiſt. 2. cor. hom. 13. ad finem.

benigniores) *arrident, non ſolum milites, ſed virgines etiam appellantur. Sed cur? exponam breviter. Navarrus, & quotquot internam attentionem requirunt in officio divino v. g. conſiderata vivacitate humani ingenii, concludunt, vix aut ne vix quidem poſſe hominem ſatisfacere ſine aliqua diſtractione veniali: ſic de præceptis aliis pariformiter philoſophantur: at nos qui contra generoſe ſentimus, & ſenſum noſtrum armato ratiocinio firmamus, non ſolum milites, ſed & virgines ſumus: poſſumus enim ita horis, aut aliis etiam eccleſiæ præceptis ſatisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prolatio enim, & quæcunque alia extrinſeca operatio eſt facillima: & humanæ principum leges, eccleſiaſticæ, aut ſæculares ſint, non præcipiunt internas. Porro conſcientia, quæ ſine veniali operata eſt, virgo eſt.* Idem in ſua theologia fundamentali (*a*) hæc latius proſequitur: ubi has duas propoſitiones in commentario in regulam poſitas: *Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æque tutæ, & ſecuræ.* Item, *Benigniores etſi aliquando ſint minus probabiles, per accidens ſunt ſemper utiliores*, ſic probat, intelligendo ſecuritatem practicam, ut vocat. *Primam*, ait, *ſic probo: Illa opinio eſt tuta, & ſecura in conſcientia, quæ,*

(*a*) Caramuel Edit. lugd. an. 1676. p. 151.

quæ, ſi juxta illam exacte opereris, te liberabit a mortali & veniali, & hoc æque præſtabit quæcunque probabilis opinio; ergo quæcunque eſt æque tuta, & ſecura ſecundum ſic: Inter duas opiniones alias æque tutas, & ſecuras, ſi exacte operaris, illa tutior & ſecurior dicenda adhuc erit, juxta quam certius præſcire poteris operaturum te exacte. Atqui hoc habent ſententiæ benigniores, cognita enim humana fragilitas, nos in ſuſpicionem ac diffidentiam neſcio quam inducit, cum proponuntur res arduæ & difficiles, quæ abeſt aut ceſſat, cum proponuntur faciles. Adducit deinde ſuperius allatum de horis canonicis exemplum, illudque eo fine, ut multis oſtendat, eum, qui benigniorem tenet de attentione ſolum externa opinionem, immunitatem, ſecuritatem habere & tranquillitatem, qua careat, qui ſeveriorem ſequitur; quam tamen poſſit habere, ſi voluerit, cum liberum ei ſit deſerere opinionem, quam habet ſeveram, & contrariam amplecti. Talem iſti ſecuritatem præſtant, jugumque Domini ſuaviſſimum, ac onus ejus non ſolum leve faciunt, ſed fere exonerant. Sed ſi Dominus daret hanc ſecuritatem, utique ſuſcipienda foret. Enimvero, ut ſuperius ex S. AUGUSTINO audivimus, nihil valet procuratoris ſecuritas, ſi Do-

minus

Digitized by Google

minus non ſuſcipiat. Quare nos potius cum omnium Patrum, omniumque temporum conſenſu ſuavitatem jugi a divina gratia præſtolemur. *Quidquid enim*, inquit
a. S. AUGUSTINUS (*a*), *durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit.* Obſequamur
b. eidem, & concilio Trid. (*b*) ſi quid gravius in via Domini occurrit. *DEUS impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* In hunc effectum clamare ne ceſſes cum Pſalte: *Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua: doce me juſtificationes tuas: doce me facere voluntatem tuam:* quibus precibus plenus eſt Pſalmus 118. aliique. Sic labefactatis naturæ noſtræ viribus robur, auxiliumque nanciſcemur, non licentia agendi, ſed gratia operandi: non evangelii laxamento, ſed divino adjutorio inſtructi. Sed de his poſtea ſuo loco.

Rationis & conſcientiæ dictamine ex perverſo concepto Probabilitatis formato.

VI. Quemadmodum firmamenta Probabiliſmi cum evangelica doctrina pugnant, nec inde aliquid præſidii habent; ſic etiam a ſobria ratione nihil juvantur. Hoc cumprimis elucet ex falſa Probabilitatis explicatione, quam comminiſcuntur. Eam jam ſuperiore paragrapho dedimus: eo autem redit tandem, ut, quam-

(*a*) Serm. 47. de div. c. 1.
(*b*) Seſſ. 6. c. 11.

quamdiu de oppoſito non conſtet, tamdiu aliquid pro probabili haberi poſſit; auctoritatem autem probabilem eſſe quorundam auctorum proborum. Potero ergo juxta Probabiliſtas, contra animi mei ſententiam ſequi pro lubitu aliorum opinionem: quaſi vero conſcientia propria quisque judicandus non ſit? *Homo*, expreſſe dicit D. THOMAS (*a*), *in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientiam ex propria conſcientia*: Juxta adverſam ſententiam potero etiam talem opinionem ſequi, tametſi videam longe plures & graviores auctores contra ſentire, quibus ſuffragari multo conſultius ducam. Quis hic non cernat, nullam non ſolum conſcientiæ, ſed nec rationis attentionem fieri? Conſcientia dictat potius legi obſequendum, ratio idem ſuadet, hoc ipſo quod videat majora rationum momenta obligationi legis favere. Vel enim judicium feret intellectus, vel illud ſuſpendet, ac cæco impetu in rem rapietur. Hoc poſtremum nemo ſanus dixerit, ſic enim dubia perſiſtet ratio: in dubio autem operari nullus theologorum permittit: igitur prius judicium feret ratio, ſibi licere operari. Enimvero quomodo intellectus judicare poteſt, licite id fieri,

quod

(*a*) 2. 2. q. 17. a. 2.

Digitized by Google

quod jam judicat minus probabile eſſe, ut licite fiat. Intellectus imprudenter judicat, ſi non ad rationis pondus decernit; quodſi autem hoc faciat, id probabit, quod rationi magis probabile proponitur, id eſt, cui plures rationes adſunt. In conflictu enim rationum minus probabile, probabile amplius non eſt in illius judicio & intellectu, cui minus probabile apparet, quamdiu ita videtur. Res clarior apparet, quando æquales ſunt rationes pro utraque parte: ſi enim in hoc caſu dubius intellectus manere debet, donec novo aliquo rationis pondere in alterutrum feratur, quis neget intellectum, ubi minores pro una parte adſunt rationes, etiam plus eſſe quam dubium? Dubia eſt opinio quæ non magis ad veritatem, quam ad falſitatem judicatur accedere: ergo is, cui æquales apparent rationes in oppoſitas partes, revera dubius eſt. *Quandoque*, inquit D. THOMAS (*a*), *intellectus noſter non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem: & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas*

partes

(*a*) Quæſt. 14. de Verit. art. 1.

Digitized by Google

partes contradictionis. Sodes? Si dubitantis eſt diſpoſitio, quando intellectus fluctuat ob apparentem æqualitatem eorum, quæ movent, quando veritas aut falſitas non magis uni parti, quam alteri adeſſe videtur, quid dicendum, quando occurrit minus probabilis opinio, ubi judicare debet intellectus, eam magis ad falſitatem accedere, quam ad veritatem? Neceſſario ergo, ſi ita ſe habentibus rebus judicandum, arbitrandumque eſt, pro illa parte, cui majora rationum momenta adſunt, decernetur: modo intellectus rationibus movendus eſſe dicatur, non cæco pruritu, quod nemo admittet. Hæc clariſſima ei videbuntur, qui ſecum perpenderit, agi de intellectu, qui ſibi conſcientiam ad agendum formare debeat iis in circumſtantiis, quando occurrunt in utramque partem rationum momenta. Qua in re non eadem omnium eſt ratio, prout unus aptus, alter non æque ad judicandum eſt. *Jo.* NIDER (*a*) diſtinguit tres diverſas hominum conditiones ad judicium de rebus. *Quorum* (hominum) inquit, *unus pervenit ex alterius auctoritate: alius ex propria eruditione: tertius ab experientiali certitudine. Sub primo vivunt inſipientes, & animales, qui non*

(*a*) In Dec. Præcept. I. c. 5.

habent claram ſuæ complexionis armoniam, vel aliam gratiam gratis datam, qua faciliter concipiuntur agenda ab eis, qui ſcripturas intelligunt. Tales ab aliis recipere habent intelligentiam ſcripturarum, & aliis credere, & obedire literatioribus. Sub ſecundo ſunt proficientes, & rationales, qui proveniunt ſcilicet ex propria eruditione. Et oritur hic modus, nutriturque ex ſtudioſa perſcrutatione divinorum mandatorum, quæ legi debent puro, fideli, & integro corde. Sub tertio ſunt perfecti, & ſpirituales, ſcilicet ſub experimentali conſuetudine. Juxta iſtud ergo hominum diſcrimen neceſſario tenendum, eos, qui ipſi formare judicium non valent, non poſſe tamen prudenter illi parti ſe conformare, quæ ipſis minus probabilis, aut etiam æque probabilis proponitur. Hoc enim ultimo caſu ratio ſufficiens non adeſt, cur uni potius quam alteri parti adhæreat: conſequenter intellectus rationabili modo aſſenſum ſuſpendet, quod continget, ſi aliquis e. c. duos, quorum æqualem cenſet auctoritatem, conſulat, qui contraria reſpondeant; non erit cur unius præ alterius judicio potius deferat. Priori caſu debebit ad eam partem accedere, quæ ad veritatem magis accedit, ſi ſecundum rationem decernere velit. Idem de eo valet, qui ſatis exerci-

tatus

Digitized by Google

tatus in morum doctrina per ſeſe judicare poteſt: ſibi enim imperare nequit, ut, vel, dum æquales ſunt rationes, in unam potius, quam alteram partem declinet, vel inæquali exiſtente rationum pondere, minus probabili aſſenſum præbeat.

Contra naturam, & rationem ipſam.

VII. Hoc enim facere per ipſam rationis naturam & eſſentiam nemo poteſt, niſi aut rationem abjiciat, aut ſuo contemto arbitrio alienum ſequatur, quod propria reclamante conſcientia non poteſt, ſecundum quam unusquisque judicandus eſt. Qui hæc non percipiunt, conſcientiæ rectam notionem non habent. Quare, cum in ſcholis de hac re diſputavi, adverſariorum mentem jugiter ad conſcientiæ attentionem revocavi, quæ cum lege eſt altera morum regula, nec ſeparari debet ab intellectus judicio. Sicut igitur intellectus judicium neceſſario propendere debet ad veriſimilius, ſic etiam conſcientiæ dictamen. Nec aliter ac citius aliquis aſſentiri poteſt rei, cujus æqualia, aut minora ſunt rationum momenta & rationes, quam pondus leve alii graviori in bilance præponderare queat. Quod enim diſtinctionem faciunt de ponderibus homo-aut heterogeneis, inanis ſubtilitas, ac vox notione vacua eſt. In

lance enim attenditur ſolum minor aut major ponderis gravitas, non ponderum materia. Quare, ſicut pondus qualecunque comparatum collatumque majori ponderi illius reſpectu leve dicitur, ſic ratio relata ad majorem rationem gravis non eſt, ſed levis, nec probabilis, ſed improbabilis, prout eſt in judicantis intellectu, cui in præſentibus circumſtantiis improbanda proponitur, ſi æquum judicium ferendum ſit. Quare, ſi accurate loqui velimus, ſententia, quam impugnamus, non recte Probabiliſmus vocatur: is enim qui ſequitur, quod ſibi minus probabile videtur, revera improbabile ſequitur, habita ratione, conſideratisque præſentibus intellectus circumſtantiis, in quibus, ſi arbitrium ferendum, illud utique improbare quis debet, cujus oppoſitam partem probare debet, ſi rationis ductus ſequendus eſt. Volui tamen uti recepto vocabulo, quamvis venditatum ſignificatum eidem non concedam. Qua in re, ſi quis me carpat, AUGUSTINUM etiam carpat, qui idem prorſus, ac ego, fecit, quod cum ei a CRESCONIO objectum eſſet, illud apoſtoli repoſuit: *Confidimus de vobis, fratres chariſſimi, meliora &c. Attendis*, inquit (*a*) AU-

GU-

(*a*) Lib. III. cont. CRESC. c. 73.

GUSTINUS CRESCONIUM allocutus, *certe, quomodo hic meliora dixerit, non quia bona erant, quæ ſupra dixerat . . . quid ſi & ego probabilius, Comparativum pro Poſitivo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter, ſicut ille meliora, non quia bona, ſed magis quia mala.* Haud aliter mihi illud demum probabile eſt, quod paſſim magis probabile dicitur, illud improbabile, quod minus probabile vocatur: illud demum dubium, quod æque probabilibus momentis fulcitur. Ut adeo differat probabile a dubio, quod in probabili adſint rationes, quæ aſſenſum in alterutram contradictionis partem trahant, ut ea potius videatur vera, quam altera. Aſt in dubio præſtant rationes in utramque contradictionis partem, quæ judicanti videntur æquivalentes, minimum tales, ut ipſe dignoſcere non valeat, quænam cæteris ſint fortiores, ita ut ignoret, cuinam contradictionis parti aſſenſum præbere debeat. Quæ ex ſententia dico celebris noſtræ ætatis philoſophi. Quibus attentis facile patebit, quando illud juris effatum locum habeat: in dubio, quod tutius eſt, eligendum eſſe.

VIII. Rentur ſeſe aliquid inveniſſe Probabiliſtæ, quo iſta omnia eludant, inventa ſua diſtinctione inter judicium ſpe- Subtilitates inanes de ſpeculativo,

practico & reflexo pro ſuſtentando Probabiliſmo.

ſpeculativum & practicum; itemque inter judicium directum & reflexum. Sed ambo ſunt meræ logomachiæ. Primum quod ſpectat, judicium practicum a judicio ſpeculativo immerito diſcriminatur, ſi eædem in particulari actione exiſtunt circumſtantiæ, quæ in univerſali judicio reperiuntur: ſi autem non eædem circumſtantiæ occurrunt, utrumque etiam judicium variatur: contraria doctrina deſtruit totum ratiocinandi artificium, ac formam. Si enim propoſitio particularis, ſeu minor alia fingitur, quam in univerſali continetur, qualis quæſo inde concluſionis firmitas exurget? Si diverſitatis hujus cauſam a voluntatis imperio repetunt, quo intellectus trahi poſſit in eam partem, quam etiam minus probabilem judicat, iis refelluntur, quæ paulo ante diximus de prudenti intellectus arbitrio: neque hoc voluntatis imperium aliunde, quam ex cupiditate mala ac perverſa derivare poſſunt. Supereſt ergo, ut ad judicium reflexum recurrant, quo judicari queat, in praxi aliquid licere, ob illam opinionem moraliter, ut inquiunt, certam, qua aſſeritur, ſequi licere opinionem minus probabilem concurrentem cum magis probabili. Sed præterquam quod magno Probabiliſtarum numero non

pla-

placeat iſta de judicio reflexo doctrina, mera petitio principii ea eſt. Hoc ipſum enim in quæſtione verſatur, an ſequi liceat opinionem minus, aut æque probabilem. Plurimis hoc non ſolum non videtur moraliter certum, ſed prorſus falſum, quod ut demonſtretur, hic totus eſt inſumtus labor: adverſariis autem dum contrarium docere, oſtenderéque incumberet, idipſum jam ut aſſertum ſupponunt. Namque dicunt, idcirco licere ſequi opinionem minus probabilem, quia hoc ſit moraliter certum: moraliter autem certum eſſe probare volunt, ob conſenſum doctorum, Probabilitatis fundamenta, poſſeſſionem libertatis, non promulgationem legis, inadvertentiam, ignorantiam, quæ omnia principia, ut falſa partim rejecta a nobis jam ſunt, partim rejicientur: nunc vero breviter ſunt expendenda ſecundum principia hactenus ſtabilita, exploſis contrariis.

IX. Imprimis ergo patet, quam nullo ſolido fundamento, & ratione poſſint confidere Probabiliſtæ ſyſtemati ſuo innixi, atque ad id reflectentes, quando de legis obligatione res eſt. Neque enim, ut ſibi perſuadent, ob quamcunque apparentem rationem, vel auctoritatem eorum præſertim auctorum, quos

Et auctoritate Probabiliſtarum, cui aliquis committere valeat.

quos conſtat minus etiam probabilia, imo qualitercunque probabilia pro regula morum admittere, prudens judicium ferre, aut prudenter agere quisquam poteſt. Hoc autem eo magis ſemper ita ſe habet, quo minus jam gloriari poſſunt de ſuo Probabiliſmo, qui in dies decreſcit, ut conjici liceat, quid ad illud argumentum a Probabiliſtis maximi ſemper habitum dici debeat, quod hic verbis *Alphonſi* SARASÆ (*a*) proponam. *Cum*, inquit ille, *decies octies ex recenſitis plures ſint, & auctoritate non minores, imo & majores non pauci, qui expenſis omnibus contrariæ partis argumentis, nihilominus probabilem opinionem in conflictu probabilioris, non eſſe neceſſario deſerendam aſſerunt, jam ſane manifeſtum eſt, probabilius longe eſſe, probabilem opinionem eo caſu non eſſe rejiciendam neceſſario. Ac proinde, qui ob probabilem campanæ, ut ita loquar, opinionem, carnibus veſcitur, aut ob probabilem viri gravis ſententiam, reſtitutionem æris non facit, licet probabilius ſit debere, eum tamen non reſtituendo, probabiliorem ſequi opinionem. Nam licet probabilior ſit eum ad reſtituendum obligari, tamen ut acute monet Joannes Sanchez, ut non reſtituat duas habet pro ſe ſententias, probabilem unam,*

(*a*) Ars ſemper gaudendi parte II. Tr. V. §. 3.

unam, qua non debere aſſeritur; alteram autem longe præ contraria probabiliſſimam, quod qui probabilius quidem, non certo tamen debet, poſſit probabilem ſequi, & ſtatuere ſe pro eo, quod probabilius tantum debetur, ad certam ſolutionem præſtandam minime obſtringi. Quid ex hoc ratiocinio ad eludendam damnationem tot propoſitionum a variis academiis, epiſcopis, ipſoque ſummo Pontifice ſequatur, quivis intelligit; ſi quis ſibi in animum inducat, id jam eſſe probabilius, quod licet de ſe minus probabile, ob judicium tamen reflexum ad ſyſtema probabiliſticum longe probabilius, imo probabiliſſimum eſt. Ceſſat jam omnis obligatio in haud paucis materiis probabilius ſectandi impoſita: jam enim minus probabile magis fit probabile, ſi hos audimus. Nec jam ulla eſt Probabilitas, quam non conſectari quis poſſit, & prudenter amplecti. Id quod eſt Probabiliſtarum præcipuum fundamentum, eum, qui probabilem ſequitur opinionem, non obſtante altera probabiliore, prudenter agere, quod ita proponit Terillus: (a) *Omnis doctrina certo probabilis, etiam in contradictione partis oppoſitæ probabilioris, eſt doctrina certo prudens. Ergo, qui cuivis doctrinæ*

 certo

(a) De conſcient. q. 23. n. 133.

Digitized by Google

certo probabili ſe accommodat, prudenter agit. Ergo certo non peccat, qui enim prudenter operatur, & ideo ſic operatur, quia reflexe cognoſcit ſe prudenter agere, proculdubio non peccat. Undique collabaſcit hoc ratiocinium, & petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Nimirum pro principio ſtatuit, quod eſt in quæſtione, quo de tota lis & controverſia eſt. Quaſi opinio adhuc certo probabilis conſiſtat in oppoſitione majoris adverſæ Probabilitatis. Quaſi quis probabilius cenſens aliquid eſſe illicitum, quam licitum, non etiam probabilius fugiendum ſibi eſſe cenſere debeat, niſi contra lumen, ac dictamen conſcientiæ agere velit, quod ſine peccato haud fit. Recurrunt hic ad auctoritatem gravium doctorum, qui aliquam ſententiam pro probabili habeant, cui aliquis poſſit ſuum reſignare judicium, & acquieſcere. At quales ſunt illi viri docti? Nimirum Probabiliſtæ, quibus ſedet animo ſententia, licere ſequi etiam minus probabilem ſententiam in concurſu probabilioris, hincque, quamdiu de Probabilitate ſententiarum decernunt, ſecundum hanc ſuam præjudicatam opinionem ſemper ſuſpicione laborant, an ſecundum regulas prudentiæ judicium formarint, ut ego poſſim dimiſſo proprio meo judicio illorum

aucto-

auctoritatem ſequi. Id enim vero haud abnuerem, ſi certo mihi conſtaret, doctum & pium auctorem ſententiam pro vera, expenſis momentis rationum, & probabiliore habuiſſe; dum ego vero nihil aperte in contrarium reperio, aut talis ſum, qui ob harum rerum imperitiam judicium ferre nequeo, debeoque ſtare judicio & ſententia alterius. At negatur poſſe me eorum deferre judicio, de quibus conſtat, quamlibet eos opinionem etiam minus probabilem ſequendi copiam facere: unde omnis illa laxarum opinionum copia prorupit, quos damnavit eccleſia. Semper remanet periculum, ne tales ſequendo auctores, conſcientiam lædam, quos ſcimus non veritatem, ſed Probabilitatem promiſcuam, & apparentem præ oculis habuiſſe. Non hic nos Probabilitatem omnem excludimus, ſed eam admittimus, quæ nos legitime coram ſupremo judice excuſatos habeat, quando fideliter, & ſincere, quod libratis momentis rationis vel auctoritatis probabilius eſt viſum, id ſequimur, quod omnino faciendum, ſive directum ſive reflexum formem judicium: id eſt ſive meo, ſive aliorum judicio ſtem. Perinde etiam eſt, ac unum eſſe debet, ſive ſpeculativum ſive practium ſit judicium,

quam

quam etiam ſuperius retulimus diſtinctionem inventam ad involvendas res, & ſpeculationes, nulla ad praxin commodo, in qua utique contra conſcientiæ dictamen, quod formandum ex prudenti judicio utique ſpeculativo eſt, atque juxta illud in praxi procedendum. Quod niſi agatur, ſine peccato actio eſſe haud poteſt, dum erronea eſt conſcientia.

Aliud Probabiliſtarum principium, legem, de qua non certo conſtat, pro lege non reputandam.

X. Sunt, qui utantur hac diſtinctione ad explicationem propoſitionum damnatarum; alii autem eam rejecerunt, ut liberior eſſet praxis quarumvis Probabilitatum, quibus leges, earumque obſervantia nullo opere eludi valet, dum, quamdiu pars a legis obligatione immunitatem præſtans adhuc probabilis eſt, legis non ſolum venia datur, verum etiam lex ipſa lex eſſe omnino deſinit. Eſt hoc aliud famoſum Probabiliſmi principium, legem ſeu naturalem, ſeu divinam, ſeu humanam, de quibus theologi diſputant, cum probabili in unam, & alteram partem ratione haud eſſe legem, ſed voces tantum grammaticales legis, eoquod non cenſeatur ſufficienter promulgata. *Nulla lex obligat,*
a. inquit TERILLUS (*a*), *niſi ſufficienter promulgetur: at quoties rationes adſunt pro-*

(*a*) De Conſcient. q. 23. n. 14.

probabiliter arguentes, partem minus tutam eſſe licitam, impoſſibile eſt, legem præcipientem partem tutiorem eſſe ſufficienter promulgatam; ergo impoſſibile eſt, illam legem obligare quemquam, quamdiu probabile eſt, partem oppoſitam eſſe prohibitam. Et auctor litterarum ſub piiſſimi *Pauli* SEGNERI nomine editarum, quarum tamen eum auctorem non eſſe probat P. CONCINA, hic etiam copioſus eſt, & confidens, nec vult ſtatum quæſtionis poni, utrum, quando eſt de legis obligatione quæſtio, atque in partem faventem libertati adhuc Probabilitas affulget, ſtet immunitas adverſus legem, eoquod hinc lex nulla ſit. *Quæſtio non eſt*, inquit, (*a*) *utrum quis agat contra legem, ſequendo opinionem minus probabilem* 2.

(*a*) La queſtione non è mai, ſe ſi faccia contra la legge, ſequitando la opinione manco probabile militante a favor della libertá: per che chi la vorrebbe diffendere in un tal caſo, ſe non foſſe uno inſolentiſſimo. la queſtione è ſe vi ſia la legge. Onde, che tale opinione, quantunque militi a favor della libertà, non ſi puó dirperó mai, che ella militi contra la legge, *adverſus legem.* Ma ben, che militi contra chi aſſeriſſe la legge. Ed in ciò, che v'à mai di male? Fin à che riman dubbio, ſe v'è è la leggé, non è convenevole, che la libertà reſti ſcielta nel ſuo poſſeſſo di operare, come a lei giova? *Lettera terza p.* 234 *n.* 4.

lem faventem libertati. Quis enim niſi inſolentiſſimus hoc defendere ſuſciperet. Quæſtio eſt, utrum exiſtat lex in tali caſu. Hinc eſt, quod talis opinio, licet pro libertate ſit, ac faciat, dici tamen nequeat eſſe adverſus legem: ſed tantum, quod contra eum ſit, qui legem eſſe aſſerit. In quo, quid mali eſt? Quamdiu enim dubium remanet, an ſit lex, non convenit, libertatem e poſſeſſione agendi pro lubitu detrudere. Ita auctor illarum litterarum. Mirum eſt, hunc patronum Probabiliſmi, dubium tam amplo hic ſumere ſignificatu ut etiam minor Probabilitas legem dubiam reddat, cum tamen juxta principia probabiliſtica, atque unicum fundamentum Probabiliſmi, etiam quando æquales ſunt rationes in utramque partem, nolint admittere dubium. Hoc enim ſi ſemel concederent, omnis controverſia ceſſaret, cum nemo ſit, qui in dubio agere permittat. Quotusquisque dubium quando eſt, an quis peccatum commiſerit, ab obligatione confitendi liberat, quamdiu dubius eſt animus, etiam ubi æquales ſunt rationes, multo magis quando minores adſunt de peccato non commiſſo, majores autem de eo commiſſo? Et tamen hic Probabiliſtæ, ubi de obligatione legis agitur, eam dubiam eſſe volunt,

quam-

quamdiu adhuc Probabilitas aliqua contra legem adeſt. Quod eſt fundamentum auctoris litterarum de Probabiliſmo, legem tunc omnino non exiſtere tanquam dubiam, tametſi majores adſint de illius valore rationes: atque adeo non obligare legem, nec cenſeri ſufficienter promulgatam, quando inter ſe non conveniunt de exiſtentia legis doctores. *Quamdiu*, inquit cit. loc. (*a*), *lex perſiſtit in eo ſtatu, ut ſit controverſa, nondum eſt lex, ſed opinio: & ſi eſt opinio, quilibet in quam vult poteſt ſumere partem: nondum eſt lex, quamcunque ſit probabilis.* Ita vero, quando de noſtra obligatione, atque officiis agitur, nulla quantumvis magna Probabilitas ſufficit; quando autem de libertate, immunitateque res eſt, quamvis parva Probabilitas ſatis eſt, ut nos abſolvat ab obligatione, ut lex penitus non exiſtat ſive naturalis, ſive divina, ſive humana? Qua certe ratione conditio legislatorum, non humanorum tantum, ſed & divini, ſummi nimirum DEI, longe infra hominem deprimitur, atque inutile redditur ſtudium

(*a*) Fino a che la legge perſiſte entro a tali termine ni di contraſto, non e ancor legge, e opinione, e ſe è opinione, tenga pur ciaſcuno qual vuole: per quando ella ſia probabile non e legge.

Digitized by Google

dium omne legis æternæ, inutilis omnis diligentia inquirendæ veritatis, ſeſeque conformandi ad præſcriptum divinæ voluntatis, ſunt liberi homines ab omni legum obſervantia, quæ ſub probabilem cadunt theologorum diſputationem. Demum ſequitur, DEUM decalogum non ſatis promulgaſſe, ut recte obſervat P. CONCINA, oſtenditque quam injurii ſint æternæ legi, atque Majeſtati ſummæ, qui ſpretis majorum rationum momentis pro lege ex minore Probabilitate contra legem, atque obſervantiam noſtram præſertim erga ſummum Numen pro nobis decernunt ordine ſubordinationis omnis ſubverſo, & perturbato, atque maxima legum tam naturalium, quam divinarum, & humanarum parte e medio ſublata: ita ut contra eas agendo jam non amplius peccetur formaliter, ſed nec materialiter, utpote nulla exiſtente lege, ac illius obligatione. Quod aperte confitentur Probabiliſtæ, imo etiam meritum ejusmodi actionum admittere debent. *Fateantur ſemel palam*, utor cel. e Soc. JESU theologi P. COMARGO (*a*) verbis, *& in conſpectu eccleſiæ catholicæ per eas opiniones probabiles, quarum praxim, & uſum generaliter approbant; inductam quidem*

(*a*) Contr. X. art. 4. §. 5. n. 127.

dem in populum chriſtianum magnam laxitatem morum, & legum divinarum relaxationem: ſed tamen eam revera inductam relaxationem, ac laxitatem non eſſe bonis moribus noxiam, aut veræ honeſtati contrariam, ſed potius honeſtam, ac bonam, DEO noſtro valde placentem, ab ipſoque conſilio, aut ſuo etiam præcepto firmatam.

Item commentum de voluntate DEI alia antecedente, alia conſequente, ac lege DEI alia directa, alia reflexa.

XI. Nemini paradoxum videri debet, quod ex ſententia Probabiliſtarum hic dicit P. COMARGO, actionem legi adverſam non ſolum honeſtam, & DEO placentem, verum etiam ab eo conſilio, aut præcepto firmatam videri debere: eſt hoc novum commentum ad ſuſtinendum Probabliſmum, præſertim a P. TERILLO obtruſum, duplici in DEO ſtatuta voluntate antecedente, & conſequente, duplicique lege directa, & reflexa. Vidit doctor ille operationem humanam, atque regulam directricem operationis ejuscemodi, ut ſit recta, debere eſſe conformem regulæ primæ. Quod cum cerneret non procedere in actionibus legi contrariis ex minori Probabilitate factis, quoad voluntatem DEI antecedentem, qua debemus conformare actiones noſtras legibus, atque in hunc finem DEUS directam etiam nobis impoſuit legem; excogitavit voluntatem divinam conſequentem, atque le-

gem reflexam, qua DEUS ex ſuppoſitione erroris, & ignorantiæ humanæ non ſolum non vult obligatum hominem, & vel materialiter legem transgredientem, verum etiam obſequium illud contra legem flagitat per accidens, ut ipſe rem declarat iſto exemplo:
a. *Illa DEI voluntas*, inquit (*a*), *obligat per ſe, qua DEUS directe, & ex primaria intentione exigit a nobis aliquod obſequium, talis eſt voluntas, qua DEUS omnibus directe præcipit obſervationem decalogi, & auditionem ſacri diebus feſtivis, quia per ſe directe, & ex primaria intentione DEUS a creaturis ſuis poſtulat hæc obſequia ſibi præſtari. Illa vero voluntas DEI obligat per accidens, quæ neque directe, neque ex primaria intentione, ſed ſolum ex ſuppoſitione alicujus ignorantiæ, vel erroris in mente creaturæ, hic & nunc exigit obſequium ab illa.* Hoc ille ſuſtinet, ac locum habere vult, quoties homo ex opinione probabili operatur, & transgreditur legem ex errore, & ignorantia non ſolum invincibili, verum etiam vincibili. Quod merito horrendum dictu viſum eſt P. COMARGO, in quo nemo ſit auſus TERILLO ſubſcribere, ut quando quis exiſtimet, hic & nunc ex ignorantia obligatum ad actionem aliquam

(*a*) P. TERILL. de Conſc. q. 11. n. 11.

quam legi directæ, & voluntati divinæ antecedenti repugnantem per ſe, per accidens tunc voluntate DEI conſequente, ac lege reflexa DEUM velle illam actionem. Quaſi vero lex Domini, quæ manet in æternum, ex ignorantia, ac errore noſtro inſtar Prothei mutetur, & in contradictoria quidem toties, quoties homines, aut idem etiam homo, ut ſolet contingere, judicium diverſum format, mutatque atque ſua mutabilitate etiam leges commutat, ut contradictoria, & contraria legi æternæ promiſcue, ac paſſim fiant nullo etiam materiali peccato, imo opere bono: lege, atque voluntate DEI, quæ eſſe debebat prima honeſtatis regula, ſubordinata judiciis, & erroribus hominum, per ſcientiam quandam mediam DEO, exploratis demum judiciis, & opinionibus noſtris, & quidem falſis, & erroneis, ſuas ſtatuente leges. *Nam*, inquit P. la Croix, (*a*) *DEUS ab æterno, & pro priori ad illam noſtram operationem moralem habuit legem antecedentem tanquam regulam per ſe omnis honeſtatis, vel inhoneſtatis moralis: ſed quia per infinitam ſuam ſapientiam videbat in homine moraliter operaturo ſæpe futurum errorem invincibilem, & opinionem prudentem, quod ali-*

(*a*) Tract. de conſc. q. 28. art. 3.

aliquid liceat, cum tamen reipſa non liceat, nec ſit conforme legi antecedenti, pro his caſibus habuit legem conſequentem, quæ per accidens eſſet regula honeſtatis, vel inhoneſtatis. Quodſi hoc ſolum vellent, hujusmodi actiones ex ignorantia invincibili contra legem factas non imputari, conſentientes nos haberent: aſt lex illa reflexa amplius procedit, & hujusmodi actiones nec pro materialiter malis, imo pro bonis habet, atque divinæ legi, voluntatique convenientibus, & quidem ex mente TERILLI etiamſi vincibilis foret iſta ignorantia. Audi vero quid hinc conſectarium faciat P. COMARGO: (a) *Itaque*, inquit, *ſecundum Terillum quoties Judæus e. g. obcæcatiſſimus, & obſtinatiſſimus firmiter apud ſe concludit per ſummam pertinaciam, & impietatem Chriſtum fuiſſe blaſphemum, ac ſeductorem, adeoque ſibi merito execrandum, hoc ipſius dictamen eſſet abſolute verum, & evidens: & ex illius ſuppoſitione jam DEUS ipſi conſulit, ac jubet, ut Chriſtum deteſtetur, atque contemnat.*

Nec non de neceſſaria ad conſtituendam peccati noxam advertentia.

XII. Non iſtic ſubſiſtit principiorum horumce curſus & malignitas. Quodſi enim etiam vincibilis ignorantia excuſat operantem contra legem, nullum jam erit peccatum, niſi cum actuali conjunctum

(a) Lib. I. contr. X. a. I. §. I.

ctum advertentia ſuper malitiam peccati, quod non eſt obſcurum Probabiliſtarum haud paucorum principium. Nec difficile fuit illud etiam ulterius proferre: ut, etſi quis de actionis quidem malitia remorſum, aut conſcientiam gerat, DEUM autem non agnoſcat, aut de eo non cogitet actu, in illum haud peccet, nec illius incurrat offenſam. Eſt hoc famoſum illud philoſophicum peccatum, quo morale malum tanquam receſſus a recta agendi regula fuit diſtinctum ab averſione a DEO, & illius offenſa. Uterque autem ut ſibi eſt mutuo connexus error, ita æqualiter damnabilis, dum imputationem culpæ tollit, ob ignorantiam affectatam, aut legis, aut legislatoris ſummi DEI. Primum quod attinet, falſo ſibi perſuadent, aut ignorantiam eam eſſe invincibilem, quæ cum minori Probabilitate alicujus opinionis, atque a ſomnis inde reſultantis eſt conjuncta; aut ſi etiam vincibilis ſit, tamen a peccati reatu excuſare, utrumque ſummo ſtatuitur errore. Atqui tamen nullum horum eſt, quod non fuerit aſſertum a Probabiliſtis, quodque non cum eorum cohæreat principiis, & ex illis conſequenter deduci queat, fueritque deductum variis modis, ad tollenda e medio peccata præſertim ignorantiæ, ut niſi actua-

Digitized by Google

lis cogitatio, aut cognitio malitiæ, aut certe manifeſta dubitatio adfuerit, culpæ non deputetur peccatum: ita ut defectus cognitionis iſtiuscemodi, aut dubitationis, etiam dum ex culpabili negligentia acquirendæ ſcientiæ ſalutis, & doctrinæ morum profluxit, tamen ad ignorantiam invincibilem, ac inculpabilem reddendam ſufficiat. Hunc errorem inter alios notat in Probabiliſtis P. *Thyrſus* GONZALEZ, eumque non ſolum in opere ſingulari hac de materia edito, atque a nobis ſæpius laudato, ſed etiam ſuo Theol. mor. fund. perſtringit, oſtenditque, poſſe aliquem, ſunt ipſa reverendiſſimi auctoris verba, per errorem culpabilem, ortum ex ſua perſonali culpa, peccare mortaliter contra legem, etſi in eo inſtanti nullo modo cognoſcat ſe peccare, imo quamvis exiſtimet ſe bene agere. Refert etiam auctores, qui ea in ſententia fuerint, atque eorum ſolide evertit fundamenta. Ipſaque notio ignorantiæ vincibilis, illiusque ab invincibili diſtinctio aperte fallitatem hujus commenti prodit, qua nimirum culpæ dantur eæ noxæ omnes, quarum potuit, ac debuit noſſe malitiam homo, ſua autem negligentia, & culpa in cauſa eſt, cur legem ac obligationem legis ignoret, tametſi actu malitiam non

ad-

advertat, aut conſideret: dum tamen teneretur cognoſcere, & ita ſaltem actio in cauſa ſit homini libera, & voluntaria, quod neceſſarium eſt, ut actio imputetur, atque ad meritum, vel demeritum ſit apta. Ad quod non opus eſt, ut aliquis cum deliberato ſtudio, & advertentia agat, ſed etiam reum facit culpabilis negligentia ad evitandum malum, declinandumque peccatum. Quæ non ſatis attenditur, & defenditur doctrina in principiis probabiliſticis contra peccata ignorantiæ non uno modo impingentibus.

Atque juſta ignorantiæ excuſatione in probabilibus quibuscunque nullo veritatis ipſius indagandæ congruenti ſtudio.

XIII. Adhuc ſupereſt aliud ignorantiæ pallium, ſub quo ſeſe Probabiliſtæ recondant, dictitantes, quamdiu obligatio legis non certo innoteſcat, juſtam nos habere ignorantiæ excuſationem. Pauci cum Caramuele ad has latebras confugiunt, ſatisque ex ſuperioribus hoc confutatum manet. Et certe, ſi hoc ita ſe habet, jam nullus locus illi juris regulæ, *in dubio tutius eſſe eligendum.* Hoc ipſo enim, quod de re certo non conſtat, ac quæſtio Probabilitatis metas non excedit, liberum erit, intellectus arbitrium, in quam voles partem declinare. Neque jam ulla diligentia, nullo uſu facultatum noſtrarum opus eſt ad ignorantiæ tenebras abſtergendas, aut

Digitized by Google

ad neceſſariam legis, obligationumque cognitionem comparandam. Deinde, ſi quod res ipſa eſt, propius inſpicere velimus, quo jure, quave ratione ignorantia ibi fingi poteſt, ubi majus rationis lumen affulget pro rei veritate? Siccine ergo in negotio ſalutis, in humana erga DEUM, ejusque legem obligatione tam deſidioſis, tam negligentibus eſſe nobis liceat, ut niſi ultro ſe aperta obligationis neceſſitas prodat, lege nos ſolutos ſtatim judicemus? tam multa jureconſulti, philoſophique decernunt, diſquiruntque de culpis, quæ in negotiis humanis, mutuisque officiis ob omiſſam neceſſariam advertentiam, diligentiamque committi queant, quouſque eæ hominibus imputandæ, quouſque ignorantiæ vincibili adſcribendæ, & hæ omnes curæ, attentioque in officiis erga DEUM, ejusque legem exulent? Fatendum igitur, atque pro certo habendum, omnes, ſive docti ii ſint, ſive indocti, diligentiam non mediocrem adhibere debere, ut, quid DEUS requirat, perſpiciant, ſufficientemque ad inquiſitionem veritatis diligentiam afferant. Neque vero concedendum, quotiescunque aperta veritas obtineri nequit, quod ſæpiſſime contingit, toties legis obligationem ceſſare, juſtamque igno-

ignorantiæ obtendi excuſationem: eatenus autem veritati deferendum, quouſque ad eam acceſſus patet. Prudenter etiam opinari conceſſum eſt, vel expendendo rationum robur & momenta, vel idoneæ auctoritati concedendo. Qua in re ſi non perfunctorie elaboraverimus, neque diligentiam deſiderari in nobis paſſi fuerimus, illud tuto ſequemur, quod magis veriſimile inquirentibus nobis ſeſe obtulerit, etſi fortaſſis falſum ſubeſſe contingat. Quænam vero ſufficiens ſit diligentia, & quanto inquiſitionis ſtudio opus, difficillime decernitur, imo nihil fixum ſtatui poteſt, cum pro variis hominum conditionibus, facultatibus naturæ, ſtudii & gratiæ, varia eſſe debeat cognitionis menſura. Egregia ſunt, quæ in hanc rem Card. CAJETANUS ſua in ſumma habet, quibus proin hic locum tribuemus. *Opinio*, inquit, *tripliciter eſt illicita: primo ex eo, quod voluntaria: nam in omni genere ſcibilium voluntaria eſt illicita, quia non ex eo, quod magis placet, ſed ex eo, quod rationabilior eſt, non ex voluntate, ſed ratione amplectenda eſt opinio. Et hinc errant ſectarum æmulatores, opiniones ſuæ ſectæ ſequentes, non ut rationi magis conſentaneas, ſed quia nati ſunt, aut nutriti in ſecta illius doctrinæ. Secundo, ex non*

relatione ad ſuam regulam: omnis enim opinio examinanda eſt ad ſuam regulam. Et quia in his, quæ ſunt fidei & morum regula, eſt ſacra ſcriptura expoſita ab eccleſia catholica; non excuſatur aliquis a quantumcunque rationabili opinione in hujusmodi, ſi ſuſpecta eſt communi eccleſiæ, ſeu apoſtolicæ ſedi. Et hinc damnantur credentes, hæreticorum, & antiquorum & novorum adhærentes doctrinis reprobatis aut ſuſpectis, ſaltem apud ſedem apoſtolicam. Tertio ex modo, dum nimis firmiter inhæretur opinioni, & aſſeritur ut certum, atque indubitatum, quod tamen eſt intra latitudinem opinabilium, & hinc ſæpe erratur ex nimio affectu ad noſtra, & minore, quam opus fuerit, examine, reſolutione ac judicio, dum probabilia accipiuntur ut demonſtrata. Hæc ille dictatoria plane ad finiendam cauſam hanc noſtram.

CAPUT VI.

Conſectaria, quæ contra divina & humana jura ex doctrina Probabiliſtarum elici queant.

I.

Quæ in excidium religionis

Pleraque hoc articulo dicenda non ſunt ejusmodi, quæ paſſim a Probabiliſtis admittantur; nec conſequuntur ex illorum

illorum ſententia, qui arctiores Probabilitatibus fines ſtatuerunt: ſunt tamen apta ex Probabiliſmo deduci, ſi cum tota ſua amplitudine defendatur. Ipſa hoc exempla docebunt eorum, qui opinionum Probabilitate abrepti in abſurdiſſimas opiniones aut revera abierunt, aut talium abſurditatum conſecutionem, connexionemque agnoverunt. Primum eſt, quod ſi in doctrina morum quævis Probabilitas ſufficiat, quin idem in doctrina fidei locum habeat, nullam certam rationem afferri poſſe. Nec defuerunt, qui hanc paritatem perſpicerent. *Jo.* SANCTIUS ſane ſenſit, infidelem non teneri ſuam falſam religionem relinquere, ſi probabile illi ſit eam eſſe veram, eſto etiam probabilius appareat eſſe falſam. *Thomas* SANCHEZ & DIANA idem ſenſerunt, ea exceptione, quod in articulo mortis aliter res ſe habeat. Equidem diffitendum non eſt, ex principiis plerorumque Probabiliſtarum, poſt damnatas ab ALEXANDRO VII. & INNOCENTIO XI. complures propoſitiones, inter quas præſens etiam eſt, hoc non conſequi. Jam enim in hoc omnes conſpirant, minus probabilem opinionem ſequi non licere, quando datur lex, conſuetudo, conventio de ſequenda probabiliori, aut quando periculum gravis damni

timenda forent a promiſcua Probabilitatis licentia.

damni ad id obligat, nec pendet ab opinionis Probabilitate illud vitare. Atqui iſtic periculum tale adeſt, cum nulla ignorantia a damno liberet, quando agitur de rebus neceſſariis neceſſitate medii, cujusmodi fides in Chriſtum, atque adeo ab infidelitate ſeceſſio eſt. Non idem tamen dici poteſt de hæreſibus illis, quæ in articulis de neceſſitate medii nullo errore detinentur. Sicuti enim in aliis actionibus humanis a Probabilitatis opinione pendet, ut formale, quod vocant, peccatum evitetur, ſi adverſariis credimus, quamvis minor adſit Probabilitas; idem dicant oportet de erroribus illis, qui dogmata de neceſſitate medii non attingunt. Quod communiter hoc negent Probabiliſtæ, nihil moror: ajo eos ſatis conſequenter ad ſuam doctrinam non loqui, dicoque cum Caramuele, vel omnia debebunt transglutire, vel a principali opinione diſcedere.
a. Certe hic ipſe Caramuel (*a*) hoc ex Probabilitatis doctrina conſectarium acute inſpexit. Inquirit is in illud Valeriani *Magni* inſignis Capucini, ſuoque tempore celeberrimi argumentum adverſus hæreticos noſtri ævi: *aut veniendum eſſe ad Romanam eccleſiam, aut recedendum a Chriſto.* Inducit Ba-

SA-

(*a*) Fundam. XLVI. q. 20.

SANOMANUM Lutheranum in illud inſurgentem ex doctrina Probabiliſtarum: *Chriſtianiſmus*, inquit Lutheranus, *probabiliſſima religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, juniores, ſeveriores, benigniores, univerſaliores, minus univerſales, & præcipue Romana, Lutherana, Calviniana, quæ ſunt vere probabiles: ergo mihi Lutherano non eſt neceſſario redeundum ad Romanam eccleſiam, aut ſecedendum a Chriſto; nam præter Romanam religionem, cui Probabilitatem non nego, etiam Lutherana eſt chriſtiana, & probabilis, & multo Romana benignior.* Explicat deinde CARAMUEL hoc Lutherani argumentum, quod ipſe etiam firmavit ſimilitudine ſcholarum Ariſtotelicæ &c. tandem concludit: *Cur non liceat dicere Romanam quidem eccleſiam eſſe probabiliſſimam, adeoque in foro interno eſſe ſecuriſſimam; & tamen hoc ipſo non obſtante, Lutheranam, quam ipſe (Baſſanomanus) profitetur, eſſe etiam probabilem, atque æque chriſtianam, & ſecuram, imo ſecuriorem omnino, quoniam minus probabilis ſententia, ſi benignior, etiam ſecurior eſt? Cur non licebit addere, ſe eſſe in quieta conſcientia apud Lutherum, adeoque nec teneri redire ad eccleſiam Romanam, nec a Chriſti religione ſecedere.* CARAMUEL prioribus operum ſuorum editionibus

ſe

ſe huic argumento nullam ſolutionem invenire poſſe fatebatur: poſtrema vero Lugdunenſi 1676. hanc affert: *Lutheranorum*, inquit (a), *ſectam dicimus eſſe omnino improbabilem (idem de quacunque alia aſſerimus) Romanam eccleſiam eſſe unicam, & veram tenemus, & hanc ipſam veritatem non jam probabiliter, ſed argumentis moraliter, aut etiam realiter evidentibus, & indubitatis demonſtramus &c.*

a.

Cum cuique ſuus ſit probabilis error.

II. Hæc quidem apud Catholicum extra dubium poſita ſunt, ſed ſectario ſecus videntur, *Cuique enim*, ut verbis utar CICERONIS, *ſuus error eſt probabilis.* Nec tali deerit, quibus ſuo errori fucum obliniat. Quodſi enim intrinſecam rationem ab ipſo repoſcas, congeret tibi omnem illum argumentorum cumulum, quibus ad expugnandam catholicam doctrinam aliquando uſi ſunt, utunturque illius adverſarii, aſſeretque ea ſibi probabilia videri, nec intereſſe, an in reipſa improbabilia ſint, cum ſeipſa omnis falſitas improbabilis ſit, Probabilitasque omnis ab intellectus obſcuro lumine oriatur. Si dicas obligari talem ad veritatis indagationem, cum falſitas periculo erroris, qui æterna damnatione puniatur, exponat: regeret

(a) Loc. cit. p. 712. b.

Digitized by Google

geret idem in doctrina morum timendum, non enim minus damnari, qui malis moribus, quam falſa fide fuerit. In eodem ergo periculo eandem cautionem eſſe neceſſariam, atque etiam eandem ſecuritatem; atqui vero concedere Probabiliſtas, in moribus probabilem quamque opinionem excuſare, licet etiam falſa fuerit, & cur non etiam in doctrina fidei? Deinde ſi in his omnibus etiam vincatur hæreticus, auctoritatem extrinſecam pulſabit: illud Probabiliſtarum adducet, poſſe quem ſequi aliorum virorum piorum, ac proborum opinionem, etſi ſibi minus probabilis ſit, ac etiam falſa videatur. Imo poſſe me aliis conſulere interrogatum aliquid, quod mihi falſum videatur dummodo ſint, qui illud ut probabile defendant. Neque talis, quando de aliqua ſecta amplectenda ei dubitatio eſt, ſolos Catholicos probos, piosque eſſe dicet, habent enim ſubinde & ſectarii ſpeciem probitatis, pietatisque, qua plerique mundum deceperunt, lupi nimirum ſub ovis pelle. Unicum eſt, quod tandem prudenter dici queat, tales plerumque præjudiciis occupari, cupiditate excæcari, ut apertis oculis non videant in reprobum ſenſum acti. Sed hæc mihi ſufficit confeſſio, qui id unice intendo,

in

in quanta præcipitia humana abjiciatur perverſa animi indoles, ſi opinandi frenum laxetur, nec licentia inhibeatur, quod nunquam ſatis caveri poterit, niſi animum induxerimus ad probabilius ſemper ſequendum: tunc enim mens ad veritatis inquiſitionem dirigitur in quantum obtineri poteſt, hoc ipſo quod probabilius eſt inquirendum. Quod dum fit in doctrina fidei, poſt diligens examen apparebit falſitas hæreticorum dogmatum, eorumque improbabilitas, atque effulgebit catholica veritas. Revera enim id teneo, nunquam probabiles eſſe hæreticorum errores, ſed id contendo, Probabiliſtarum principiis ſtando rarius iſtam improbabilitatem detegi. Cum enim Academicum, Pyrrhonicumque iſti modum teneant, probabilia ſolum ſectentur, veritatis inquiſitionem negligant, accidit, ut nec quod improbabile eſt, ſatis perſpici poſſit: inde enim alicujus doctrinæ improbabilitas potiſſimum habetur, quod de partis oppoſitæ veritate conſtet. In eo etiam ipſis Pyrrhoniſtis videntur cauſa inferiores, quod iſti nunquam conceſſerint, putaverintque prudentis eſſe, minus probabile approbare, ſed vere probabile, eo quem nos ſuperius explicavimus ſenſu. Non hæc eo dico, iterum iterumque

con-

Digitized by Google

conteſtor, ac ſi de plerisque Probabiliſtis male ſentiam, quorum probitas novit rectos opinandi limites ſtatuere: ſolum, quo humana pravitas pertingere poſſit, indico, atque eousque etiam exceſſiſſe aliquos, quod omnibus cognitum eſt, non ſolum principali Probabilitatis dogmate, quod hucuſque oſtendimus, ſed etiam inde ortis, enatisque opinionibus, quæ probabiles ſunt habitæ, ut fidei penitus a cordibus humanis expellendæ ſemina jecerint.

III. Quodſi enim ex hominum ſcientia res ſint dijudicandæ, qui unquam error, hæreſis, aut infidelitas tam graſſa & enormis, aut quæ tanta erronum perverſitas, ut non aliqua ſpecie Probabilitatis decipiat. Quin plerumque non ſolum peccatum apparet illis, verum etiam putant ſe obſequium præſtare DEO: tanta plerumque obſtinacia, ut omnia potius ſuſtineantur, ſuſcipianturque, quam dimittantur errores. Hoc nos exempla docent tot hæreticorum ac infidelium tam Judæorum, uſque ad præſentem diem, quam etiam gentilium eo potiſſimum tempore, quo rerum potiti, religionis cauſam in perſecutionibus contra chriſtianos ſtrenue ſe tueri exiſtimabant. Et hi quidem in rigore principiorum probabiliſticorum excuſantur opi- Præſertim ſecundum principia pſeudo-Probabiliſmi.

nione ducti etiam minus probabili, ut vix tandem in articulo mortis fidem, quam probabiliorem putant, teneantur amplecti. *At extra eum articulum*, inquit *Thomas* SANCHEZ (*a*), *non tenetur, quod adhuc prudenter exiſtimet, ſe poſſe in ſua ſecta perſeverare, tempusque rei melius examinandæ ſuperſit.* Adde myſteria fidei tam ſublimia eſſe, ac chriſtianos mores adeo carnis & ſanguinis legibus repugnare, ut non quævis major Probabilitas ſufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem. Vides hic eadem principia adhiberi ad tollendam unacum fide chriſtiana legem prorſus evangelicam, quæ inter chriſtianos in theologia morali tantam corruptionem intulit. Et ſane credendorum, agendorumque non eſt diſpar obligatio, decalogusque, & ſymbolum æqualiter ſtringunt, atque ad idem evangelium. Ut ſi liceat cum dictamine reflexo, quam minus probabilem, aut etiam falſam exiſtimo, ſententiam ſequi quoad decalogum, cur non idem fieri poſſit quoad ſymbolum nulla urgens poſſit dari ratio, ſæpe hæreticis ſuos errores majori ſpecie proponentibus, quam Caſiſtis. *Numquid eſt hæreſis*, inquit (*b*) S. AUGU-

STI-

a. b. (margin)

(*a*) In Decalogum L. II. c. 1. n. 6.
(*b*) Lib. XXII. cont. FAUST. c. 17.

STINUS, *quæ non veritatem ſe nominet? Et quanto eſt ſuperbior, tanto magis ſe etiam perfectam nominat veritatem.* Verum eſt in credendis infallibili eccleſiæ judicio citius res tranſigi ſolere contra hæreticos. At negant hanc auctoritatem hæretici, aut detorquent, idque faciunt etiam ſpecie quadam veritatis & rationum ſua ſaltem opinione veriſimilium; ergo ſecundum principia probabiliſtica excuſationem mereantur, eo magis quod tam ſublime non ſit aliud quodcunque tribunal, quam divinum: cujus tamen decreta & voluntatem, cum ſibi arrogent flectere poſſe per legem ſuam reflexam, voluntatemque conſequentem, an minus ſibi ſumant in alio quocunque inferiore judicio? *Si DEI legem*, utor S. AUGUSTINI (*a*) verbis, *non ſicut ſe habet, ſed ſicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, ſi & de lege imperatoris hoc facitis?* Et quidem deciſiones eccleſiaſticas quod attinet, & decreta, cum necdum inter Catholicos conveniat de infallibilitate judicii, niſi collegium paſtorum apoſtolis ſuccedentium in idem cum ſummo capite conſpiret, facile eludent decreta pontificia, quæ etiam nuper in hac ipſa emanarunt cauſa ac materia, utputa a ſolis edita

L 2 Pon-

(*a*) Lib. III. contra JUL. c. 3.

Pontificibus, quos fallibiles eſſe multo-
rum tenet ſententia non omni Probabi-
litatis exiſtimatione deſtituta; atque ad-
eo teneri poteſt ab illis etiam, qui eam
minus probabilem eſſe putant. Quod ſi
hic ſubſiſtere non collubeat, in promtu
erit alterum de non ſatis promulgata
lege principium: quod in omnem par-
tem vertere poterunt, aut dicendo, hanc
ipſam de auctoritate Pontificis legem
necdum ſatis promulgatam, aut facile
pro ſubtilitate ſcholaſtica, & promtua-
rio diſtinctionum aliquid ſuppetet ad e-
ludendas leges quarumcunque poteſta-
tum. Jam hic Probabiliſtæ principia
ſtatuerunt de promulgatione, accepta-
tioneque legum, ac earum obſervantia.
Non eſt controverſia, ut *Ferd.* de CASTRO-
a. PALAO (*a*) ex *Thoma* SANCHEZ refert,
*Quando daretur opinio probabilis ex parte
ſubditi, quod non teneatur obedire, tam-
etſi contraria ſententia ſit probabilior. Tunc
enim licitum eſt ex ſupradictis amplecti,
quæ ſibi gratior fuerit.* Nec defuerunt
commenta, quibus hoc modo propoſi-
tiones etiam damnatas eluderent. Et,
haud injuria doctiſſimus P. ELIZALDA
oſtendit, inter Probabiliſtas auctorem
gravem habere ampliorem, ac univer-
ſaliorem ſuæ infallibilitatis materiam,

&

(*a*) Lib. VI. in Decal. c. 3. n. 7.

Digitized by Google

& campum, quam Romanum Pontificem, vel eccleſiam, vel etiam ipſum DEUM, eoquod horumce poteſtas & infallibilitas tantum circa vera, & realiter probabilia ſe extendat, Probabiliſtæ autem ſuam auctoritatem tam ad vera & falſa proferant. (*a*)

IV. Hoc modo Probabiliſtæ ſuam auctoritatem extendiſſe non contenti, etiam aliam quamcunque reſtringunt, tantam veniam legum naturalium, divinarum & humanarum concedentes; imo ad omnimodam independentiam quandam via ſtrata eſt judice ipſo CARAMUELE (*b*), cujus in hanc rem verba jam ſatis nota non poſſum tamen, quin poſt alios hic deſcribam. *Bone DEUS*, inquit de ea opinione, quæ eccleſiam de internis non judicare ſtatuit, *ſi hæc opinio ſemel admitteretur, actum eſſet de tota aut fere ſuperiorum auctoritate. Subditi obedirent ad oculos, & privatim omnia mandata temerarent: nemo peccaret, qui ſecreto comederet carnes diebus Veneris: nemo, qui diebus jejunii ſecreto comederet tertio vel quarto: nemo qui ſecreto omitteret officium divinum. Nimia omnia, & improbabilia, & tamen legitime illata ex doctrina*

a. Ad inducendam omnimodam independentiam etiam a DEO.

b.

L 3

(*a*) Vid. CONCINA Diſſ. II. §. 6. n. 33.
(*b*) Theol. fundam. Lib. I. f. XXIV. f. 248. n. 72. Ed. nov.

ctrina probabili. Ut video, ex hac doctrina oriri in noſtris ſcholis poſſit Independentium illa hæreſis, quæ ab annis pauculis inficit Angliam. Quærenda igitur eſt ratio Probabiliore certior, quæ hanc pernicioſam doctrinam debellet. Nolim iſtic invidiam movere recenſione illarum contentionum, quibus non ſolum Europa tot editis ſcriptis, ſed etiam America fervebat, quibus etiam cultui quodammodo idololatrico aliquis color affictus videri potuiſſet: nolim item odioſe memoriam refricare diſputationis illius tanto cum fervore, animique æſtibus agitatæ de peccato philoſophico, cujus propugnationem ARNALDUS Jeſuitis tribuebat, atque eo nomine in maximum odium vocabat: quo nimirum peccatum committi poſſit ab eo, qui DEUM invincibiliter ignorat, & ſic non ſit formalis offenſa DEI, nec mereatur pœnam ignis æternam. Notæ ſunt repetitæ denunciationes novæ hæreſeos de peccato philoſophico ab ARNALDO procuſæ, quibus ſummo ardore contendit, ex hoc errore non ſolum univerſalem totius populi depravationem, omniumque ſcelerum licentiam ſecuturam eſſe; verum etiam, ſi hæc invaleat doctrina, nullum futurum Atheum, aut affectibus ſuis ſervientem, qui non omnem de

DEO

DEO cogitationem ex animo ſit ejectu-
rus, ut numero peccantium eximatur,
notitia quippe cariturus, quæ ad pec-
cati formam requiratur: atque adeo A-
theos omniumque facinorum & pro-
brorum reos feliciores futuros, quam ve-
re chriſtianos, & DEUM timentes. Ab
his non multum abludunt, quæ tum
MONTALTIUS in 4. ad provincialem
epiſtola, cum WENDROCHIUS etiam
in prima ad eandem epiſtolam nota diſ-
ſerunt, de illis rebus, quæ ad pecca-
tum informandum requirantur, ut ho-
mini imputetur: de bonis nimirum co-
gitationibus, actuali de màlitia judicio,
vitandique peccati ſtimulis, ac deſiderio
ſemper præſentibus, qua doctrina im-
pelli homines poſſint ad obdurandas
mentes honeſtati omni, ſibique perſua-
deant DEUM non offendi, quando
æſtro paſſionis perciti de DEO non
cogitant, dum in ſcelera naturæ ratio-
nali adverſantia labuntur. Unde etiam
pleraque in Spiritum S. peccata excu-
ſari queant, eorum nimirum, qui ab-
jecta omni ſalutis, DEIque cogitatio-
ne, totos ſeſe vitiis committunt. Huic,
quam antea recenſui, doctrinæ non
ſolum a celeberrimis academiis, ſed et-
iam ſummis Pontificibus obviam itum
eſt, ne latius ſerperet, pietatique omni

Digitized by Google

ſatale exitium afferret. Nulli ego eam imputo, adſcriboque, veneror nihilominus ſummi Pontificis ALEXANDRI oraculum dolentis hanc doctrinam in fidelium pernicium ſuſcitari, atque de novo erumpere: & ſane, niſi ſentiendi libido ſiſtatur, nihil religionis, obſervantiæque in DEUM ab hominum licentia intactum relinquendum fore palam eſt.

Ruina legis evangelicæ, virtutumque chriſtianarum ex licentia opinionum Probabilium.

V. Multa a nobis in ſuperioribus ſunt dicta, quam adverſa evangelicæ doctrinæ hujusvis Probabilitatis conſectatio exiſtat, ſed nunc ſingillatius exponendum, quam omnis virtutis chriſtianæ, vitæque ſecundum formam evangelicam exactæ ruina inde formidanda ſit. Iterum proteſtor, me de extremo Probabilitatis vitio habere ſermonem, prout nimirum nihil a ſceptica differt ſtolidi-tate: prout licentiam dat tamdiu quid ſecure ſequendi, quamdiu ab aliquibus ut probabile defenditur, ac fautores ſuos habet. Cui orationi meæ nullum aptius principium invenio, quam ſi a S. AUGUSTINI (*a*) diſputatione ordiar, qua ipſe academicorum tarditatem eſt inſectatus, omnia Probabilitate metientes. *Ipſi*, inquit, *dicunt nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile*, & *quærunt magnopere veri-*

(*a*) Cont. Acad. l. III. c. 16. n. 36.

veritatem, cum eis probabile ſit non poſſe inveniri. O mirum monſtrum! Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat. Adeundus eſt AUGUSTINUS, & quæ hunc a me allatum locum antecedunt, conſequunturque, legenda, patebunt funeſtæ conſecutiones, quæ ex ea animi perſuaſione nectuntur, qua quisque, quod aut ſibi probabile putat, aut ab aliis defendi videt, ſequendi licentiam ſibi ſumit, cum cernamus a perverſis ingeniis tot ſcelera excuſationem commodam nanciſci. *Taceo*, eodem loco inquit AUGUSTINUS, *de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod gravius eſt, apud ſapientiſſimos judices defenduntur.* Poſt clariſſimam evangelii lucem, quæ ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, ſedentibus nobis in tenebris, & umbra mortis effulſit, videri potuiſſet, quod omnes

philoſophiæ hujus depravationes ceſſarent, ac homines depoſitis præjudiciis, ignorantiæ, concupiſcentiæque agnitis morbis, ac malis affectibus legis hujus præſtantiam agnoſcerent, & ſecundum illius præceptiones morum regulas, ipſosque mores conformarent. Sed accidit, ut potiſſimum vita, & vivendi præceptis ab ea abirent homines, qui etiam evangelio nomen dederunt, idque illis potiſſimum temporibus, poſtquam ratio plurimum dominari in theologia cœpit. Quod equidem mirandum non eſt: cum enim doctrina revelata, ut corruptionibus humanæ mentis mederetur, data ſit divini Numinis ſingulari clementia, ordine hoc ſemel perverſo, & in evangelii locum depravatæ rationis ſubtilitatibus ſubſtitutis, aberrationes iſtiuscemodi neceſſario conſecuturæ fuerunt. Adeantur moralis doctrinæ chriſtianæ præceptores noſtro hoc ævo, quotusquisque placita ſua divini verbi ſcripti, ſeu traditi, ac per eccleſiam nobis propoſiti dictis confirmaſſe reperietur? Aut ſi etiam aliquis eccleſiæ canon in medium afferri continget, ſæpe is aut truncatus, aut tortus invenietur. Quid mirum, ſi horumce auctorum ſcita ab evangelio diſſentiant. Pietas equidem, probabitasque multos inter juſtas metas conti-

nuit;

Digitized by Google

nuit; non deſunt tamen qui cum evangelio pugnantes regulas morum conſtituerint.

VI. Exempli cauſa leguntur primi fideles perſeverantes fuiſſe unanimiter in fractione panis, & orationibus: de fractione autem illa panis, ſeu Euchariſtiæ digna ſumtione nota ſunt Pauli monita, quomodo probare ſe homo debeat, ne in judicium ſibi manducet & bibat: fuerunt enimvero Caſuiſtæ, qui homines adhuc fumantes luxuria, ac ſceleribus ab ipſa natura abhorrentibus ad Euchariſtiam aptos judicent: & cum concilium Tridentinum ſaluberrimum præceptum dederit quamprimum confitendi, qui peccato obſtricti, neceſſitateque compulſi ad ſacrificium acceſſerunt: iſti hoc onere privarunt eos, qui ex malitia ita acceſſerunt. Imo fuerunt, qui parum aut nihil opinione diſſidentes a Luthero, ſuo amore plenos, ſeculoque perverſo addictos aptos quam maxime ad percipiendos divinos Euchariſtiæ fructus dicerent. De oratione ut quid dicam, cum apoſtoli vox ſit, quando de publicis eccleſiæ conventibus loquitur: *Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente:* iſti ſacerdotes, ſi ſolis labiis pſallant, mente autem quocunque vagentur, ſecuriſſime

Tam quoad officia erga DEUM Matth. X. 8. &c.

ſime agere perſuadere volunt : horreo alia placita afferre. Chriſtus in evangelio præcipit : *Gratis accepiſtis, gratis date, nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris : non peram in via : neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Qua ſententia vult Chriſtus, quod PAULUS explicavit poſtea, *eum qui altari deſervit, de altari etiam vivere debere* : noſtris temporibus fuerunt Caſuiſtæ, qui homines pauperes a ſpoliis pauperum, reditibus eccleſiaſticis non ſolum ſummis divitiis ampliari, ſed eas etiam in profanos uſus diſpenſare concederent. Cum eccleſia exemplo Chriſti inducta ſalutarium jejuniorum tam ſanctas conſtituerit leges, fixeritque tempora : quid non ad emolliendam eorum qualemcunque excogitarunt auſteritatem, quæ cum antiquæ eccleſiæ jejuniorum, vigiliarumque rigore, ac diuturnitate comparanda haud venit. Notiſſimi ſunt motus illi in Gallia præſertim excitati, de eo, qui immunitatem nactus eſt abſtinendi a carnibus, an lege jejunii teneatur, nempe unius ſolum refectionis ? Quos non laxi Caſiſtæ, quocunque labore defeſſos etiam qui delectandi, recreandique, imo peccandi cauſa ſuſceptus ſit, a jejunandi obli-

Digitized by Google

obligatione liberarunt, etiam ſi in legis fraudem tales captaſſent occaſiones? Illi ipſi ſi præceptum amoris divini ſpectaſſent, olim jam Judæis propoſitum, ſed a Chriſto reſtauratum, & ad perfectam obſervantiam propoſitum, præcepto amandi tota vita, aut potiori ejus parte homines non liberaſſent, idque conſilii ſolum loco, quod affectum amandi attinet, haud habuiſſent. Qui tanta in DEUM impietate fuerunt, eos erga homines obſervantiores fuiſſe credendum haud eſt, aut ſi etiam fuiſſent, tanto minus culpa vacarent, qui homini potiora quam DEO tribuerent jura.

VII. Sed non minus in homines injurios ſe quidam præbuerunt, atque præceptum amandi proximum tam excellenter in evangelio conſtitutum penitus abrogarunt. *Audiſtis*, inquit Chriſtus (*a*) *quia dictum eſt : oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo : ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram : & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium : & quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo : qui petit a te, da ei : & volenti mutuari a te, ne avertaris. Audiſtis quia dictum eſt,*

Quam erga proximum.

a.

(*a*) Math. V. 38.

eſt, diliges proximum tuum, & odio habe-
bis inimicum tuum. Ego autem dico vobis,
diligite inimicos veſtros, benefacite his qui
oderunt vos; & orate pro perſequentibus,
& calumniantibus vos &c. Quamnam
harum charitatis legum non laceſſierunt
Caſiſtæ quidam? Cum homo Chriſti
exemplum præ oculis habere identidem
debeat, qui maximus oſor, ac contemtor
honoris humani, ſua lenitate, adverſus
quasvis injurias, manſuetiſſimum ſe no-
bis æmulandum propoſuit: *Diſcite a me,*
a. inquit, *(a) quia mitis ſum, & humilis cor-*
de, & invenietis requiem animabus veſtris;
quique ſæpius vindictæ jus ſoli DEO
vindicavit, & apoſtolos vindictæ cu-
b. pidos increpavit: *Neſcitis,* ajens (*b*), *cu-*
jus ſpiritus eſtis: cujus ore etiam apo-
c. ſtolus expreſſe monet: *videte,* inquit, (*c*)
ne quis malum pro malo reddat. His o-
mnibus evangelicis mandatis poſthabitis,
audent neſcio quam honoris, honora-
tique viri celſitatem fingere, nimirum
chriſtianum hominem Chriſto plane diſ-
ſimilem, qui ob leve improperium, ac
contumeliam, ob exigua ſublata fortu-
næ bona, ob parvam injuriam, ac læ-
ſionem famæ, corporis, & hujusmodi
mi-

(*a*) Matth. XI. Luc. XVIII. 7. 8.
(*b*) Luc. IX. 54.
(*c*) 1. Theſſal. I. 15.

minutorum, quæ Evangelium parvipendere, & abjicere docet, non ſolum par pari reddere indulgent, quod ipſum jam legibus evangelicis contrairet, verum etiam vitam eripiendi facultatem tribuunt, idque & clericis, & religioſis hominibus concedunt, quibus major ad evangelicam normam vivendi incumbit obligatio. Et quis neſcit, quantum in hac re hodieque peccetur per monomachias, inſidias, aſſaſſinatus? Cumque Chriſtus dicat in evangelio: (*a*) *Beati eſtis cum maledixerint vobis* a.
& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me, fuerunt, qui permitterent, non ſolum calumniam impactam nova efficta retundere, ſed etiam calumniatorem clam occidere, quod idem de falſo accuſatore ac judice nonnulli ſtatuerunt. Jam ſi alia, quæ charitatis in proximum poſſunt eſſe monumenta, perpendamus, quomodo a quibusdam eorum obligatione chriſtiani ſunt ſoluti; quam parum ejusmodi evangelio tribuant, patebit. Chriſtus (*b*) in evangelio dicit: b.
Si mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia vobis? Et poſt pauca: *Mutuum date, nihil inde ſperan-*

tes.

(*a*) Matth. V. 11.
(*b*) Luc. VI. 24.

tes. Hæc penitus obrui non poterant; ſed quanta, quæſo, eis caligo objecta? Quam variis ſubtilitatibus, artibusque excogitatis deluſum hoc præceptum, imo naturæ lex? Non aliter habitum eleemoſynæ mandatum toties inculca-
a. tum: verba Chriſti (*a*) ſunt: *Verumtamen, quod ſupereſt date eleemoſynam.* Hæc clara ſunt, nec poſſunt ullo modo obſcurari. Quid igitur factum, ne homines hoc præcepto tenerentur, eo itum, ut ſuperfluum eſſe hominibus nihil, aut vix unquam aliquid diceretur.

Contra legem gratiæ & charitatis.

VIII. Iſta ſunt, quæ exempli gratia ex aliis ſelegimus, unde dignoſci queat, quanta evangelio labes per eos doctrinæ moralis ſcriptores, præceptoresque ſit allata, qui ſpretis evangelii placitis corruptam rationem pro canone morum dirigendorum adoptarunt: unde apertum refrigeſcentis charitatis argumentum ſumi valet, non ſolum præcepti illius, in quo tota lex pendet & prophetæ, cujus illi ambo capita, tum quoad DEI, tum quoad hominis dilectionem, male habuerunt, verum etiam charitatis illius, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, cujus prærogativas tot ac tantas paſſim deſcribit apoſtolus; quæque eſt ſingularis evangelii dos, ac veluti

(*a*) Luc. XI. 41.

uti hæreditas, gratiarumque divinarum theſaurus, quibus, ſi obicem non ponimus mentem claudendo, obſtruendoque, quod alias in tramite evangelico durum ac difficile foret, facillimum redditur. Ad hæc auxilia *a Domino* dum animum non adverterunt, ſed ad acciſas per peccatum humanæ naturæ vires, mirum non eſt, quod a jugo evangelico abhorrentes morum regulas conſtituerint, tantumque humanis cupiditatibus, malis affectibus, perverſisque ſtudiis hominum indulſerint.

Probabiliſmi placita contra rationis naturam pugnare.

IX. Sed illud magis mirandum eſt, quod qui rationis ductum ubique ſequi contendunt, ab eo quam longiſſime diſceſſerint, & reſiduum luminis in homine ſcintillans obruerint. Deinde quod qui æqualia hominibus jura ſtatuere præſeferebant, commercii, ſocietatisque omnis vincula ruperint. Ac primo quidem Probabiliſmi doctrina a ratione non tantum penitus abhorrere, ſed etiam contra ipſam rationis naturam pugnare manifeſte convincitur, utpote quæ rationi imperet probare, cujus oppoſitum potius probandum ſit. Sicut voluntas in bonum fertur, ſic ratio in vero diſcernendo occupatur. Et ſicuti voluntas malum velle nequit, ſic nec intellectus falſum. Ut ergo fieri nequit, quan-

do optio eſt inter duo, quorum unum potius bonum videtur, alterum potius malum, quam bonum, ut voluntas non feratur in id, quod bonum ſit; ſic intellectus niſi aliquo malo affectu depravatus, nequit ferri in id, quod minus veroſimile. Qua in re decipiuntur illi inſigni ſophiſmate, qui ſic comparationem inſtituunt: voluntas poteſt ex duobus bonis minus bonum eligere, ergo intellectus minus ad verum accedens approbare: ut enim etiam demus illud voluntatem poſſe, quod hodiernis philoſophis non videtur; non hic diſquiritur de magis ac minus bono, aut vero, ſed in quæſtione eſt bonum ne ſit, aut malum, verum an falſum? Et quia certa determinatio veritatis aut falſitatis haberi nequit, rationem ſecum pugnare illi faciunt, qui id intellectum approbare compellunt, quod minus ad verum accedere judicat, intellectumque primario, & unico ſuo objecto abducunt. Judicat ergo ratio ſimul duo contradictoria, & approbat, unum actu interno, alterum externo: id eſt, quod ipſi vocant, judicio ſpeculativo & practico. Quid hoc aliud eſt, niſi prima ratiocinandi principia, ipſamque rationem deſtruere. Quod non nemo egregie ſua in Theologia morali præſtitit, in

utramque

utramque ſemper partem merces ſuas offerens: *Licet, non licet: peccant, non peccant: obligantur, non obligantur: excuſantur, non excuſantur: ſufficit, non ſufficit: eſt, non eſt.* Non ita deſipuerunt Pyrrhonici. *Non ii ſumus,* eorum nomine loquitur CICERO (*a*), *quorum vagetur animus errore, nec habeat uſquam quid ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mens, aut quæ vita potius, non ſolum diſputandi, ſed etiam vivendi ratione ſublata! Nos enim, ut cæteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt, ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, contra alia improbabilia dicimus. Quid eſt ergo, quod me impediat ea, quæ probabilia videntur, ſequi, quæ contra reprobare?* Certe enim implicat eundem intellectum eodem judicii actu duo probare, aut illud non probare, quod veriſimilius. a.

X. Qui ſecus putant Rabbinis illis ſimiles ſunt, qui ſententias contradictorias utrimque ſimul veras eſſe admittunt. Et quando duo ſcripturæ interpretes in contrarias abeunt explicationes, ex utraque parte, ut LIPMANNUS docet, quæ proferuntur eſſe verba DEI viventis volunt. Sic iſti hoc momento hanc, altero contrariam ſententiam, probare concedunt. Quo ipſo duplicem ſuum ani- Commerciique ac ſocialitatis jura laceſſere.

 mum

(*a*) In LUCULLO.

mum produnt, ac linguam, quo nihil funeſtius ſocietati, commercioque humano eſſe queat, fide omni, ac ſinceritate e medio ſublatis: cum ipſi ſatyri, ut in fabulis habetur, ab eorum commercio abhorreant, qui modo calidum, modo frigidum halitum ſpirant. Sed nec hoc ſatis habuerunt, alias adhuc excogitarunt technas, quibus ſocietatis humanæ funditus ſubvertendæ conſilium facile iniretur, uſu illo æquivocationum, reſtrictionumque mentalium, a quibus nec jurandi ſacramenta immunia præſtiterunt, imo earum uſum ad ipſum ſacramenti confeſſionis ſacrum tribunal extenderunt. In contractibus etiam quibusdam ſignum externum, ſine interno conſenſu licite exhiberi cenſuerunt. Ne quid de mentiendi immunitate dicam. Et vero quis vivere cum iſtis non formidet, qui cædis privata licentia faciendæ tot cauſas obtendunt?

Nec hodie, poſt paſtorum eccleſiæ in corruptam moralem animadverſionem, totum malum ſublatum.

XI. En quousque ventum eſt libidine opinandi, ſed DEI ſingulari providentia, quæ eccleſiam ſuam non derelinquit, factum eſt, ut ab imminentibus ſtragibus conſervatum ſit genus humanum. Vigilantia paſtorum dominici gregis, ſummi præſertim Paſtoris, ac in terris Vicarii graſſanti malo, ſerpentique cancro obſtitit, acciſis plerisque

mon-

monſtris a nobis deſcriptis. Ipſa etiam omnis mali funeſta radix paulatim areſit, ac matureſcit, ut excidatur, in ignem mittatur, & ardet. Nec antea decor, & integritas doctrinæ moralis ſperanda eſt, quam ipſa evulſa radice. Paſſim adhuc lutulenti fluunt rivi, a canoſo fonte iſto. Ipſique ſummi Pontifices in ſuis decretis profitentur, ſe reliquas morum corruptelas non probare, quas aperte non damnent. Sentiunt ergo mali adhuc ſupereſſe reliquias, quæ ſtudio, diligentiæ, & pietati theologorum, ut eas tollant, præeuntibus ipſis, & viam ſternentibus, permittunt. Sinuntur nonnunquam zizania creſcere uſque ad meſſem, donec matura a paſtoribus collecta igni devoventur ſapienti conſilio, cujus ratio ex ipſo evangelio habetur. Sed zizania in agro dominico ſpargere, id diabolicum munus, & flagitium eſt. Atqui iſto ſcelere ſe contaminant, illi morum præceptores, qui corruptam morum doctrinam tradunt, & diſſeminant. Nec profecto tales adhuc deſunt, poſtquam eccleſiæ præſules ſatis declararunt, quantopere in agro chriſtiano diſpergi doleant, quam ardenter eradicari cupiant lolia iſta, & peſtilentes herbas, quarum veneno tot animæ pereant, quæ religioni, evangelicis legibus, humanæque

ſocialitati exitium minitentur, toto malo ex conſectatione opinionum, quæ probabiles jactatæ ſunt, ortum ducente, atque in ipſa eccleſia adoleſcente, hominibus, evangelico ductu neglecto, corruptæ rationis principia conſectantibus. Patuit demum grandiloquentia, & confidentia ſumma, qua opiniones ſuas tanquam ſecuras morum regulas venditabant, poſtquam plures earum hinc inde in Caſiſtis fulmine Vaticano arſerunt ceu ſcandaloſæ, & pernicioſæ propoſitiones. Ubi conſtitit, quam fruſtra immunitatem legum dent doctores ſolo ſuo ſtantes judicio, atque probabiliſticis abducti principiis, juxta quæ probabilitas non ſolum a culpa excuſat, ſed etiam actionem per ſe malam bonam efficit. Judicium eccleſiæ, quod interceſſit, quam ſint hic falſi oſtendit. Cum enim non poſſint negare propoſitiones damnatas alicubi extitiſſe, atque pro probabilibus eſſe defenſas, vident jam hoc nihil obſtante damnabiles eas fuiſſe eccleſiæ. Hoc ſi contigit doctrinæ anteriori ex principiis probabiliſticis depromtæ, eadem cum adhuc ſubſiſtant, & defendantur, quidni fieri poteſt, ut hodieque ſint propoſitiones ſcandaloſæ, & pernicioſæ, quas iſti probabiles defendunt, & pro ſecuris conſcientiæ re-

gu-

Digitized by Google

gulis obtrudunt. Neque enim præciſe damnatio fecit, ut pernicioſæ, & ſcandaloſæ eſſent, ſed quia ut tales ab eccleſia agnoſcebantur, proſcribebantur, & ut damnabiles damnabantur. Adeoque falſi ſunt opinione ſua Probabiliſtæ, & chriſtianos fefellerunt in doctrina morum, haud ſecus ac hæreſiarchæ in dogmatibus fidei: nihil proficiente probabilitate apparente, qua veluti fuco oblinire poſſe putarunt actiones etiam pravas, & bonas effici: ſecus ac eccleſiæ viſum, hujusmodi ſententias ut ſcandaloſas, & pernicioſas proſcribenti. Nec nobis hic objiciant in electione ſententiæ etiam probabilioris faventis libertati idem ſubeſſe periculum. Quippe veritatem ipſam, quantum eniti valent, conſectantur Probabilioriſtæ. Qua in inquiſitione ſi nihil relinquitur ſtudii, ac officii pro rei momento, dum nihilominus errari contingit, culpæ tamen non deputari noxam, recte creditur de divina pietate, quia ſincere judicavit licet erronee, tamen in re, qua non potuit melius formare judicium, nec etiam debuit, adeoque invincibilis eſt error: ſecus ac apud Probabiliſtas, qui non ſolum poſſunt, ac debent judicium melius concipere, verum etiam revera illud præ oculis habent, nec tamen illud ſequun-

Digitized by Google

tur, hinc in illam tremendam incurrunt ſententiam: *Eſt via quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Quod in probabilibus opinionibus impletum eſſe oſtendunt tot propoſitiones damnatæ ut ſcandaloſæ, & pernicioſæ, quæ a Caſiſtis ut probabiles antea fuerunt venditatæ.

Ipſa in radice, quamvis ad eam etiam ſecuris jam ſit poſita a ſumma ſede.

XII. Sed nec ipſa illa opinandi libertas, unde tot ſcandaloſæ, pernicioſæ ac damnabiles prodierunt doctrinæ, penitus intacta eſt relicta. Jam ALEXANDER VII. ſuo in decreto, quo XLV. an. 1665. damnavit propoſitiones, in eam invehitur: *In rebus*, inquit, *ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fidei fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela.* Ubi vides ipſum *modum opinandi* notari, quod ingens contra Probabiliſmum facit præjudicium, non tantum contra abuſum illius, qui in propoſitionibus damnatis reprobatur, modus autem opinandi ipſe in præfatis verbis ALEXANDRI VII. Utrumque recte diſtinxerunt illuſtriſſimi Gallicanæ eccleſiæ præſules in celebri nationali concilio, quo apertius confixerunt Probabiliſmum præmiſſo

Digitized by Google

miſſo Alexandri VII. decreto: *Præmittenda putamus verba felic. mem. Alexandri Papæ VII. quibus non modo errores increviſſe queritur, verum etiam, quod caput eſt, adnotari voluit, ipſam rei tractandæ rationem eam introductam eſſe, unde videremus corruptelam morum non modo ſecuturam, verum etiam facto veluti impetu irrupturam, quam vix cohibere poſſimus. Neque vero ſatis fuit ſanctiſſimo Pontifici novam hanc methodum ludificandæ conſcientiæ, & involvendæ veritatis, hoc eſt, ipſum mali detexiſſe fontem, ſed exitiabilis doctrinæ rivulos inſectatus.* Paulo poſt plura afferemus de funeſtis ejusmodi Probabiliſmi fatis, ex quibus P. Concina quid tandem ab apoſtolica ſede exſpectet obſcurius quidem ſuſpicatur, nec audet præſagire aperte damnationem. *An iſta*, inquit (*a*), *ſecutura ſit Probabiliſmum damnatio, nolim eſſe propheta. Duo tantum ut theologus dico: Primum Probabiliſmum certo eſſe damnatum in principalioribus moralis chriſtianæ*

(*a*) Se ciò debba ſuccedere al Probabiliſmo, io non la vò fare de propheta: ma da teologo dico due coſe. La prima, che il Probabiliſmo è certamente dannato ne punti principali della morale chriſtiana, & che in virtu di raziocinio ſecondo me evidente, e dannato univerſalmente, come dimoſtrèro nella terza diſſertatione. *P. Conc. Diſſ. II. c. 4.*

Digitized by Google

ſtianæ capitibus : *& quod vi ratiocinii, juxta me evidentis, univerſim eſt damnatus, ut demonſtrabo in diſſertatione tertia.* Hæc ille. Reſpicit hic profundiſſimus theologus præſertim ad decretum Innocentii XI. an. 1679. multo magis fatale Probabiliſmo, quam priora duo Alexandri VII. Cum in decreto Innocentii immediata ſint condemnata Probabiliſmi principia, ipſeque Probabiliſmus in materiis de Sacramentis, rebus pertinentibus ad juſtitiam, bella, fidem, beneficia, medicationem corporis. Et ſi Concinam audimus univerſim in præceptis ſecundæ tabulæ, unde periculum, ac damnum proximi emergere poſſit: ut ſolum adhuc controverſia ſit, an etiam in præceptis primæ tabulæ ſit damnatus, quæ ad Deum pertinent. Nec dubitat hoc defendere laudatus theologus, etiam horum reſpectu, atque in tota ſua latitudine eſſe conſequenter damnatum in tertii decreti Innocentiani ſequenti propoſitione: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, dummodo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. Solummodo conſideranda*, ait (*a*), *damnata*

(*a*) Si facia ſolamente il confronto tra queſta propoſitione dannata, e la propoſitione capi-

damnata hæc propoſitio, cum capitali propoſitione Probabiliſmi, quilibet mox clare cernet damnationem utriusque. Palmaris propoſitio Probabiliſmi hæc eſt: Licet ſequi opinionem minus probabilem, & minus ſecuram, quando ea vere eſt probabilis. Quis neget, quin hæc ſit capitalis Probabiliſmi propoſitio, quum in ea anima illius conſiſtat. Propoſitio damnata hæc eſt: Prudenter operatur, qui agit opinione nixus minus probabili, quantumvis tenui, dummodo intra probabilitatis coufinia ſubſiſtat. Quis non videt manifeſtam identitatem inter has duas propoſitiones quoad ſubſtantiam in ſe conſideratas! Quod ſi ipſa conſiderentur Probabiliſmi fundamenta, quorſum non ſolum poſſunt intendi & trahi, verum

tale del Probabiliſmo, & incontinente ſi vedra chiaro la dannatione dell' una, & dell' altra. La propoſitione capitale de Probabiliſmo e' queſta: E permeſſo di ſequitare la opinione manco probabile, e manco ſecura, quando ella e veramente probabile. Puo per aventura negarſi, che queſta non ſia la propropoſitione capitale del Probabiliſmo, quando in cio conſiſte l'anima del medeſimo. La dannata eſt queſt'altra: ſi opera prudentemente, quando ſi opera appoggiati ſopra una opinione men probabile avenaché tenue, purché ſi conſervi dentro confini della probabilita. Or chi non vede la identita manifeſta tra queſte due propoſitioni ſoſtanzialmente conſiderate? *P. Concina. Diſſ. I. c. 4. n. 22.*

rum etiam fuerunt præſertim ante damnationem propoſitionum tracta & explicata, patebit ſoliditas ratiocinii P. Concinæ. Et certe non extiterunt nullibi propoſitiones damnatæ, illa præſertim, ex qua ratiocinationem ſuam formavit contra Probabiliſmum P. Concina. Nec hæc, aut aliæ ab indoctis hominibus, ſed ab acutis, & in paleſtra ſcholaſtica logicaque plurimum exercitatis hominibus fuerunt prolatæ, qui, quid ex quo conſectarium ſit, legitima conſequentia proſpexerunt. In quo nos hic unice ſubſiſtimus funeſtis conſecutionibus Probabiliſmi hoc in capite nobis propoſitis, inter quas præcipua, quod inde tot propoſitionum damnandarum eruperit copia. Unde non potuit non ipſe Probabiliſmus labefactari fons & origo malorum, ut ad eum ſuccidendum tunc maxime allaborarit etiam Pontificum ſtudium. Quod alio jam loco retulimus, & documento eſſe poteſt provincia data ab Innocentio XI. Præpoſito Generali Societ. JESU Rev.mo *Thyrſo* Gonzalez decreto 26. Junii 1680. paulo poſt damnatas eodem a Pontifice propoſitiones. Ita autem habet: (a) *Injungendum pariter P. Generali ſocietatis JESU de ordine ſanctitatis ſuæ,*

(a) Apud P. Concinam.

ſuæ, ne ullo modo permittat Patribus ſocietatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, licitum non eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu magis Probabilis ſic cognitæ, & judicatæ; verum etiam relate ad omnes univerſitates ſocietatis mentem ſanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet pro ſuo libito libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eisque jubeat, ut mandato ſanctitatis ſuæ omnino ſe ſubmittant.

Aliorumque paſtorum, & theologorum judicio.

XIII. Hinc ſaltem ſtudium, & deſiderium, ſummæ, & apoſtolicæ ſedis colligere licet auctorandi, & promovendi contrariam minus probabili ſententiæ doctrinam, etſi etiam nullum ab eccleſia præjudicium factum eſſe concedatur. Quod tamen haud leve eſſe cenſendum eſt, ſi conſiderentur tot paſtorales epiſcoporum, judicia integrarum academiarum, & decreta ſynodorum, ac præſertim graviſſimi, ac ſolemnis concilii nationalis Gallicani in frequenti Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcporum conſeſſu. Quod non ſolum ſuam interpoſuit auctoritatem, verum etiam tum ſummi Pontificis, ut paulo ante retulimus, cum etiam academiarum, & Epiſcoporum ſingillatim ſpectatis judiciis decretum edidit quantivis æſtimandum,

an-

Digitized by Google

antea quidem conceptum an. 1655. in eodem præſulum Gallicanorum conſeſſu, ſed demum anno 1700. plena firmatum auctoritate. *Nec*, inter alia ajunt, *tacere poſſumus religioſiſſimi Patres, memorabilem ſententiam, qua maximus, & doctiſſimus cætus anno* 1655. *& ſequentibus Pariſiis congregatus graviſſimo judicio ſuo damnavit perverſam, ac falſi nominis ſcientiam, qua inſtructi homines non jam accommodarent mores ſuos ad evangelicæ doctrinæ normam, ſed & ipſam potius regulam, ac ſancta mandata ad cupiditates ſuas inflecterent, novaque, & inani philoſophia chriſtianam diſciplinam in academicas quæſtiones, ac dubias, fluctuanteſque ſententias verterent.* Quanta hæc ſit auctoritas, nemo non videt, & licet ſumma omnino, quæ prorſus obſequium fidei expoſcat, non ſit, tanta tamen eſſe debet, quæ utique toto cœlo ſuperior exiſtimetur illo theologorum numero, ſuo ſenſu potius ductorum, quam ductu evangelico, & legitima auctoritate, qua pollent, qui paſtorum in eccleſia ſuſtinent munus, & apoſtolis ſuccedunt, de quibus Chriſtus in evangelio: (*a*) *Qui vos audit, me audit.* Quamvis nec illa etiam deſit auctoritas, theologorum inquam eorum, qui non ſparſim alter ab

alte-

(*a*) Luc. X.

altero mutuavit rationes, ſed in pleno academico conſeſſu omnibus rite expenſis, ac libratis haud ſemel ſententiam dixerunt. Quæ omnia ſi ſpectentur, & judicio etiam Probabiliſtarum ſtetur, qui concedunt, ſententiam etſi probabilem multorum opinione, ſi tanquam improbabilis ab aliis, & vel ab uno rejiciatur, pretium ſuum amittere, quid ſit decernendum quivis prudens conjiciet, etſi nullum eccleſiæ judicium interceſſiſſe ſit perſuaſus. (*a*)

a. Contra late ſerpens malum agrum dominicum infeſtans omni ſtudio averruncandum.

XIV. At his nihil morantibus pronum fuit juxta principia, & methodum theologiæ ſcholaſticæ ubique obtinentis, regnum Probabiliſmi prorogare. Poterat arridere ſententia novitate, & ſubtilitate ſua, a ſcholaſticis ſtabilita, nihil attendentibus ad conſecutiones pernicioſas in praxi: donec late ſuum regnum in pulpitis theologicis prodendit, atque numerum ingentem patronorum in ſcholis eſt nacta-

(*a*) Ameſſo eziandio, che il Probabiliſmo non ſia della chieſa catholica espreſſamente dannato, tutta volta ci viole uno ſpirito aſſai forte per practicare una ſentenza da tanti inſigni religioni, da tanti ſynodi, & da un intero concilio nationale riprovata, & dichiarata, qual infetta ſorgente di tutte le rilaſſatere intro dotte in queſti ultimi tempi nella morale theologia. *P. Concina Storia de Probabiliſmo &c. Diſſ. II. c. 4. in fine.*

ſta omnibus acute, & ingenioſe excogitatis, & in ſyſtema redactis ſcholaſticis velitationibus, quibus ultro citroque diſputandi, & rationum momenta librandi copia fit in utramque partem. Quod non potuit non temporibus, & moribus ſcholaſticis maxime arridere, & magno doctorum his ſtudiis addictorum conſenſu ſuſcipi, quibus plus tributum, quam legitimis paſtoribus in ſuis eccleſiis avitum depoſitum proferentibus, & divinum verbum, vigoremque legis evangelicæ proponentibus, urgentibusque. Temporibus etiam & moribus peraccommoda erat doctrina, quibus jam refriguerat charitas, & ſtudium perfectionis chriſtianæ pene ad clauſtra fuerat revocatum, viaque complanata cenſebatur, ſi medium quiddam inter aperta vitia, & virtutes evangelicas teneretur. Unde tamen ſucceſſive ſemper magis & magis licentia opinandi in devia abducebat, quando ad praxin a ſpeculatione abductus eſt Probabiliſmus in ſuis conſequentiis maxime funeſtus, ut vepri recte comparetur in ſua radice molli, & nihil mali afferenti, donec excreſcat in ramos, ac dumum, pungens, & ſanguinem eliciens, contrectanti veluti etiam roſas oſtentat, & ſuavem emittit odorem ſua facilitate, & immunitate a peccatis, quam polli-

ce-

Digitized by Google

cetur, dum reipſa potius impeditam reddit ad cœlum viam, ac difficilem, atque ad vitia trahit, eaque deteſtanda parit conſectaria, in quibus recenſendis ſumus occupati: quæ horrent ipſi Probabiliſmi defenſores, & luſum maligni ſpiritus animadvertunt. Inter quos P. TERILLUS inter præcipuos Probabiliſmi patronos plura diſſerit ſui pene oblitus in præfatione lectu digna, & veluti propilæi loco ſerviens contra hujusmodi avia & conſectaria Probabiliſmi, in veſtibulo tractatus de conſcientia probabili. Poſtquam enim perpendiſſet, quorſum laxitatum provexerint chriſtianam moralem auctores Moraliſtæ & Caſuiſtæ, haud obſcure aſtum ſatanæ hic agnoſcit, quo ultra modum ſibi patrocinati ſint auctores intuendis & propagandis laxis doctrinis. *Imo*, inquit, *incredibile non eſt, eos ſub ſubtili ſatanæ inſinuatione deceptos, ſub humanitatis cujusdam lenocinio, mutuique honoris ſpecie, quibusvis aliorum dictis probabilitatem ideo attribuiſſe, ut quam ipſi prærogativam prioribus ultro dediſſent, eam ipſis poſterioribus non inviderent. Hac arte doloſus inimicus, poſtquam doctiores, qui & ſibi invigilare, & aliis proſpicere debuerant, prægustato plauſu amplioris famæ per laxarum opinionum evulgationem ſibi certo acquirendæ, faſci-*

naſſet, per eos nimis incautos in campo moralis theologiæ optimo ſeverarum opinionum tritico abunde ſato, deteſtanda laxitatis zizania ſuperſeminavit, & abiit. Conſcius quippe erat, ea absque boni tritici jactura nunquam evellanda. Certam proinde ſibi gratulatus eſt victoriam, quia norat, ſe humana induſtria vix impediri poſſe, quo minus voti ſui compos fieret. Ita conſpirantibus hoſtibus omnibus humani generis mundo, carne & dæmone, & veluti conjurantibus in perniciem & ruinam evangelicæ ſanctitatis, non potuit aliter agi cum morali chriſtiana. Ut jam ſumma ſit connitendum cura, nec hactenus ſatis proficere potuerit in evellendis ex agro dominico zizaniis iſtis, atque reſarciendam ruinam & perverſitatem, quam licentia iſta opinandi, & omnia permittendi non ſolum in vitam chriſtianam & mores, verum etiam in ipſa ſacra theologiæ adyta, fato non ſatis deplorando, intulerit: DEO tamen providente, atque paſtorum eccleſiæ excitante curam & vigilantiam, ne late jam ſerpens malum, atque ingruentia zizania triticum dominicum penitus ſuffocarent, & paulatim arefaciant. Non ubique quidem eodem eſt actum zelo & ardore, opera tamen haud pœniten-

da,

Digitized by Google

da, & ſucceſſu proſpero indies magis ac magis ſeſe prodente, cui ſtudium ſuum omne impendere debeat theologus, ac fideles omnes vota & preces ad Deum ardentes fundere, ut ſecundet pium opus opitulatrice gratia ſua, qua inſtructi ſtrenue *per ducatum evangelii pergamus itinera ejus: ut mereamur eum, qui nos vocavit, in regno ſuo videre, in cujus tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo, minime pervenitur.* S. Benedictus in prologo Regulæ.

CAPUT VII.

Fons & ſcaturigo erroris utrinque oppoſiti Rigoriſmi & Probabiliſmi.

I.

Juvat etiam utramque oppoſitam e diametro rigidiorem ac remiſſiorem morum diſciplinam junctim veluti uno obtutu conſiderare. Quæ ſit utrinque aberrandi, abeundique a mediocritate, æquaque morum cenſura cauſa, æquali periculo ſalutis, ſive lata & ſpatioſa pandatur via, quæ ducit ad perditionem; ſive ea immoderato rigore infirmis præ-

Rigoriſtæ & Probabiliſtæ contrariis ſtudiis & rationis abuſu in extrema abeunt.

cludatur, difficultatibus obſepta in deſperationem agentibus, & a cura ſalutis penitus revocantibus. Originem non aliunde poſſe accerſiri putat P. *Hyacin-*
a. *thus Amat* de GRAVESON (*a*), quam ex vitiata, & inordinata methodo, quam utrique in tradenda morum doctrina tenuerunt. *Alii quippe*, ait, *theologi ſeu laxiores relictis fontibus, videlicet ſcriptura ſacra, doctrina ſanctorum Patrum, & definitionibus ſummorum Pontificum, atque Conciliorum, ex quibus pura hauriri debet chriſtiana doctrina moralis, humanam duntaxat rationem, quæ poſt primigeniam Adami labem, niſi divina gratia illuſtretur, quam plurimis eſt obnoxia erroribus, ducem ſibi ſequendam præſtituere, eaque in hunc potiſſimum finem uſi ſunt, ut ſeſe ingenioſos exhiberent in evellendis ſpinis pænitentiæ, & in excutiendis conſcientiæ ſcrupulis, ſagaces in præſcribendis fluxis, & fallacibus regulis, quæ in malis bona, in ambiguis certa, in periculis promittunt ſecuritatem. Alii vero theologi vulgo dicti Rigoriſtæ ſub ſpecioſo obtentu confutandi morum corruptelas a laxioribus theologis invectas nimio zelo abrepti, rigidiorem doctrinam moralem præformarunt, quam ſummi Pontifices ſaluti animarum invigilantes juſto anathe-*

mate

(*a*) Orat. de vera Methodo docendi, & addiſcendi Theologiam moralem.

mate perculerunt. Alii ergo nimio novitatis, alii nimio antiquitatis ſtudio in extremos errores ſunt prolapſi. Probabiliſtæ methodo theologiæ in ſcholis recepta ventilandi utrinque rationes probabiles, ac in utramque diſputandi partem, rationi humanæ nimium opinando indulſerunt, quæ poſt originalem ADAMI labem erroribus nimis patet, & expoſita eſt, ut qui ei directrici ſe tradunt, non poſſint non in varios abduci errores, exemplo omnium eorum, qui deſtituti lumine ſupernaturali,aut eo ſpreto, mores ex rationis ductu formare ſunt conati. Ea enim jam par non eſt æquo de veritatibus moralibus ferendo judicio, ad ea approbanda facillime abducta, quæ pravis deſideriis & cupiditatibus favent, ut ſæpe meliora videat, probet, deteriora ſequatur obſecundans affectibus, & pravis propenſionibus. Hinc ſaluberrime proviſum eſt divina bonitate, ut deſuper illuſtratis auctoritas divina & eccleſiaſtica præſto ſit, quam ſecuti haud aberremus: quamve deſerentes in oppoſitos remiſſioris rigidiorisque diſciplinæ errores deciderunt, quos hic notamus. Dum illi lubricæ ac privatæ rationi ſuæ nixi poſtpoſita ſacra auctoritate in ſcripturis, traditione eccleſiaſtica, & SS.

Patrum doctrina, ſimul etiam rectam migrarunt rationem, ac prudentiæ regulas, viam minus tutam ad ſalutem, & quæ probabilius ad malum ducit, eligi permittunt; ducem autem ſecurum, & ab initio in eccleſia ſemper retentum abjiciunt, novo & peſſimo exemplo tot malorum feraci, corrupta doctrina morali chriſtiana, decalogo & evangelio fere ad nihilum redacto. Hi, Rigoriſtæ nimirum, dum nec bona intentione, nec juſta moderatione, nec legitima auctoritate videri volunt graſſanti malo obſiſtere, in alterum præcipitium inciderunt nimio antiquæ diſciplinæ revocandæ ſtudio, atque rationis dictamine omni tanquam ſuſpecto (niſi certam veritatem præſeferat) abjecto, arrogantes ſibi auctoritatem ſolis eccleſiæ paſtoribus debitam, moderandæ diſciplinæ eccleſiæ.

Doctrina de natura & gratia utrinque errorem promovet.

II. In eo ergo extrema oppoſitio rigidioris & remiſſioris morum cenſuræ conſiſtit, quod illi legis nimis arctam, hi nimis laxam viam conſtituant. Illi ut operatio moralis ſit recta & honeſta nimium requirunt ad cognitionem legis. Non enim contenti veriſimilitudine judicium abſolute certum requirunt. Quod cum in iſta imbecillitate ac incertitudine cognitionis ſæpe non obtin-

gat,

gat, ad impoſſibilia obligant. Hi econtra nec veriſimile requirunt judicium, hoc eſt inter probabilia id, quod ad verum magis accedit. Sed quando de obligatione legis in utramque partem occurrunt rationes, etiamſi majores rationes ſtent pro lege, ab ejus obſervatione nihilominus abſolvunt, & ſic plurimas caſſant leges, ac delent. Rigoriſtæ ergo ad impoſſibilia volunt nos teneri, Probabiliſtæ etiam a poſſibilibus eximunt. Quivis intelligit doctrinam de natura & gratia hic occulte ſeſe inſinuare, qualiter ad actiones noſtras, atque obſervantiam divinæ legis refertur: quam utraque pars in multis ſuo modo impoſſibilem facit defectu naturæ & gratiæ. Non ſemper divinæ gratiæ lux tam clare affulget, ut evidentem legis cognitionem afferat, aut omnem illam obſervandi difficultatem auferat. Ea præcepta, quæ non poſſumus cognoſcere, nec obſervare valemus, utique ſunt impoſſibilia. Nihilominus hic Rigoriſtæ culpæ imputanda volunt peccata ſic commiſſa, ſive non poſſim cognoſcere, ſive non obſervare legem ex defectu gratiæ. Utrum enim iſta impoſſibilitas ſit ex defectu neceſſarii luminis ad cognoſcendam legem, vel ex privatione ſufficientis auxilii, ac virium

ad eam implendam, perinde eſt, niſi noſtra ſit culpa & cauſa. Damnata ab eccleſia eſt doctrina, impoſſibilia volentibus & conantibus etiam juſtis quædam præcepta ſtatuens, ex defectu gratiæ, atque poſſibilia præcepta eſſe, eſt definitum. Rigoriſtarum error, atque illius ex Janſeniſmo origo aperta eſt, & a nobis ſuperius jam declarata. At etiam Probabiliſtæ hic impingunt, non quidem quod gratiæ vires deeſſe aliquando putent operanti, ſed quod ob defectum cognitionis ab obſervantia omnium eorum præceptorum, de quorum obligatione in utramque partem dantur rationes probabiles, homines eximant, veluti impoſſibilia ſervatu eſſent cognitione debita deficiente. *Ergo via probabilium*, inquit P. *Michael* ELIZALDA (*a*), *ex ſuo inſtituto tendit, ut nos ab ipſis præceptis ſervandis reipſa eximat, hocque ita, ut ſi minus ad impoſſibile homines obligare velit, & ad dura intolerabilia, ut mitiſſime dixerim, nimis vergit in Janſeniſmum, nec præceptorum DEI, & gratiæ dignam habet exiſtimationem.* Profecto majus hoc miraculum foret, quam HERODIS & PILATI olim conciliatio. Sed fit hoc contrariis ſtudiis. Rigoriſtæ etiam culpæ

(*a*) 3. P. L. 7. q. 5. §. 4.

Digitized by Google

pæ dant ea impoſſibilia præcepta, quæ ex defectu gratiæ, non ſolum vires conferentis, verum etiam cognitionem non afferentis fiunt. Probabiliſtæ autem leges ipſas tollunt, de quibus certa non habetur cognitio, & aliqua ſaltem, etſi minor, affulget probabilitas non exiſtentis legis aut præcepti.

Doctrina de natura ignorantiæ utrosque præcipitat.

III. Utrinque error ex ignorantiæ, & peccatorum inde provenientium notione oritur. Rigoriſtæ volunt peccata ignorantiæ etiam invincibilis non excuſari. Hinc illa ab ALEXANDRO VIII. inter 31. propoſitio ſecundo damnata loco: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato.* Quemadmodum enim ad peccatum perſonale, ut imputetur, ſufficere putant, quod ſit liberum & voluntarium in cauſa in ADAMO, cum requiratur libertas perſonæ peccantis, ut eſt contra BAJUM & JANSENIUM definitum, & ab ALEXANDRO VIII. propoſitio contraria damnata; ita etiam ignorantiam omnem utut invincibilem, utpote ex peccato originali provenientem, damnabilem putant. Hinc nullam opinionem etiam inter probabiles probabiliſſimam ſequi licere volunt, quando a legis obſervantia abſolvit, ſed tu-

tius ſemper ampleɛtendum volunt, ne forte error irrepat, & peccato obnoxium faciat formali, etſi ex ignorantia invincibili foret. Econtra Probabiliſtæ ignorantiæ excuſationem nimium extendunt, atque ignorantiæ peccata vix non cum Pelagianis tollunt corruptæ naturæ nimium faventes. *Humana quippe ſuperbia*, inquit S. AUGUSTINUS, (*a*) *tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt, quod peccat.* Ita nimirum Probabiliſtæ non ſatis ad gratiæ lumen intenti ſtatim a lege abſolvunt, quando certa illius non occurrit notitia, & obligatio.

Ex doctrina de gratia non Rigoriſtæ tantum, verum etiam Probabiliſtæ errandi cauſam ſumunt.

IV. Atque hinc clare patet, non ſolum Rigoriſmum, ut ſupra demonſtravimus, verum etiam Probabiliſmum ex doctrina de natura, & gratia æque oriri. Quod doctiſſimus P. GRAVESON (*b*) alio adhuc modo declarat: *Quæ autem*, inquit, *præcipua cauſa fuerit, cur moderni Theologi legem evangelicam emollire totis viribus ſtuduerint? Hæc mihi potiſſima videtur, quod cum viderent, per peccatum primi parentis fractas, ac debilitatas eſſe hominis lapſi vires, & aliunde aliam in ſtatu*

(*a*) Ep. 105. ad ſixtum.
(*b*) Diſſ. de ver. Meth. docendi, & addiſcendi Theologiam moralem.

Digitized by Google

ſtatu naturæ lapſæ non admitterent gratiam propter gratiam verſatilem, indifferentem, ſubditam libero arbitrio, cui efficaces vires, quibus ipſamet eſt deſtituta, conferre minime poterat, hinc fuerunt compulſi emollire mille laxitatibus legem, quod exiſtimaverint ipſam, attentis hominis per culpam Adami debilitatis viribus, nimis arctam, duramque eſſe, adeoque aliquo indigere temperamento, ut ad ſauciatas hominis vires magis accommodata facilius poſſet obſervari per benignas adhibitas interpretationes, & laxiores opiniones, quæ omnem divinæ legis rigorem mitigant, & innumeras morum corruptelas inducunt. Addit deinde eos, qui gratiam per ſe efficacem ſtatuunt, licet fateantur, vires hominis lapſi fuiſſe per peccatum ADAMI vulneratas, & extenuatas, tamen ope doctrinæ ſuæ de gratia, ex illius virtute efficaciſſima ad legem adimplendam, non attemperatione legis ad vires infirmas hominis, rem conficere. Quod licet veriſſimum ſit, univerſim tamen non valet, cum, qui doctrinam de gratia qualemcunque tenuerint, hic impegerint. Par igitur hic ratio eſt, ac de illo, quod ſcientiam mediam quidam ad defendendum Probabiliſmum adhibuerint, aptamque judicarint præſertim ad ſuſtinendum commentum de lege DEI directa,

&

& reflexa, qua DEUS legem ſuam ſecundariam attemperet errori invincibili, aut etiam ſecundum quosdam vincibili; ſicuti libertati attemperat ſuam omnipotentiam per decretum indifferens ſecundum principia ſcientiæ mediæ, ut P. la CROIX ſciſcit in commentariis ſuis in Medullam P. BUSEMBAUM n. 339. Et graviſſime fert P. PALANCUS: (a) *Sicut enim illic*, inquit, *ex ſcientia media, & ex decreto indifferenti, primatum DEI in cauſando, prædeterminando, & movendo vel tolli, vel minui videtur, ita per hanc doctrinam de lege reflexa licitam faciente ſequelam cujusvis opinionis ſive minus, ſive æque, ſive magis Probabilis ſua contradicente periculum imminet non leve, quod primatum DEI in eſſe legislatoris, & regulæ moralitatis vel minuatur, vel penitus evertatur.*

Eccleſiæ etiam auctoritatem, licet impari culpa, pariter deludunt.

V. Alterius in divinum legislatorem injuriæ accerſit Probabiliſtas præſertim P. TERILLUM P. CONCINA, quod ob minus ſufficientem promulgationem leges quasque dubias migrent, & non ligare putent: eoquod legislatores ſibi tribuere debeant, ſi ſua imperia aliquando violari videant, cum ſufficienter non explicarint voluntatem ſuam, cui ſufficienter explicatæ ſubditi paratiſſimi erant

(a) Tract. de Conſc. q. 2. 8. a. 3.

rant obedire. Quæ ſunt ipſius TERILLI (*a*) verba, ob quæ a P. CONCINA vapulat. *Doctrina iſta*, inquit, *quæ ſuapte ſummum incutit horrorem, ſubditos rebelles contra ſuos ſuperiores facit. Hac falſiſſima doctrina utuntur obſtinati Janſeniſtæ, reſiſtendo pontificiis conſtitutionibus. Sunt eæ, ajunt, obſcuræ, plures ferunt ſenſus, ac variæ exiſtunt interpretationes earum. Iſto erroneo pretextu ſuſtentato falſa doctrina Probabiliſmi velare ſtudent contumaciam, ſuam, atque eludunt infallibiles dogmaticas apoſtolicas conſtitutiones.* Vides quomodo in eadem damnatione Rigoriſtæ, & Probabiliſtæ conjungantur. Et certe majus foret Probabiliſtarum peccatum in ipſum divinum legislatorem. Sed mens hos minime læva excuſat magis quam illos, qui non verentur aperte comunem eccleſiæ diſciplinam carpere, & legitimam eccleſiaſticam auctoritatem laceſſere, quæ eadem

(*a*) Queſta maſſima, che di ſua natura arreca orror ſommo: rende i ſubditi revoltuoſi contra i ſovrani. Di queſta Gianſeniſti per reſiſtere alle pontificie conſtituzioni. Sono elleno, dicono coloro, oſcure, amettono piu ſenſi, & varie ſono le interpretationi, che vengono a quelle date. Con queſti erronei preteſti fomentati de qualche falſa dottrina del Probabiliſmo procurano coſtoro di colorire la loro contumacia, e di deludere le infallibili dogmatiche apoſtoliche definizioni. *Storia del Rigoriſmo, & Probabiliſmo Diſſ. III.*

eadem hodie eſt, ac olim: eodemque pro obſequio ſuſcipiendum, quod in diſciplina ſervandum præſcribit. Et quod illa tolerat, privatis non licet mutatum velle importune ac ſuperbe; ut iſti faciunt, inconſulto antiquæ diſciplinæ reſtaurandæ ſtudio, quam eccleſia non ſine urgentibus cauſis mutatum fert. Sed errant, & divinam circa eccleſiam ſuam providentiam non ſatis ſuſcipiunt, quæ nunquam deficit, nec doctrinam, nec doctores corrumpi ſinit, nec paſtorum vigilantiam deeſſe permittit, nec perire in tota eccleſia ſanctam diſciplinam: quidquid in privatis moribus, ac privatorum etiam doctorum opinionibus contingat, atque reipſa etiam contigerit in remiſſiore morum cenſura, quam recte impetiiſſent cenſores iſti, ſi non in contrarium impegiſſent ſcopulum, media, ac regia relicta via, ut ſolet accidere.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

CAPUT VIII.

De æqua morum cenſura, & pænitentiæ diſciplina contra Rigoriſtas.

I.

Nec veritas ſemper in actionum regu-

Tria ſunt, inquit S. AUGUSTINUS, *velut finitima ſibimet in animis hominum,*

Digitized by Google

num, diſtinctione digniſſima : intelligere, credere, opinari. Quæ ſi per ſeipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt, ſecundum aliquando cum vitio, tertium nunquam ſine vitio. (*a*) Hæc ut alia paſſim Rigoriſtæ pro ſuo Tutioriſmo ſumunt, voluntque, quotiescunque non aperta habeatur veritas & ſcientia, ſecurius & tutius eſſe eligendum, ut immunis ſit a peccato actio. Mirifice hoc textu SINNICHIUS in ſuo *Saule exrege* triumphat. At fruſtra: non enim ſatis diſtinguit inter vitia, quæ culpæ deputantur, & quæ culpæ non deputantur : inter peccata materialia & formalia. Dantur vitia naturæ, cæcitas exempli cauſa, quæ tamen ſceleri haud vertuntur. Apoſtoli cum viderent cæcum natum, magiſtrum interrogant (*b*): *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Volebant & illi ex naturæ iſto vitio peccatum concludere; at quid in reſponſis ferunt? Reſpondit JESUS: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*; cæcitas mentis noſtræ ignorantia eſt, inde vitium opinandi: at conjunctum cum invincibili ignorantia, non imputatur, & a culpa excuſat. Atqui in hoc errant Rigoriſtæ, quod ſicuti omnem ignorantiam cul-

lis obtineri poteſt, nec tutius.

a.

b.

(*a*) S. AUG. De Utilitate credendi. c. 11.
(*b*) Jo. IX. 2. 3.

culpabilem, ita etiam omnem actionem inde ortam imputabilem, ac malam judicent, non conjunctam cum veritate; ut qui certus haud ſit eam attigiſſe, culpa haud vacet, ac formaliter etiam peccet, quantumcunque ſe recte agere exiſtimet: adeoque volunt, eſſe his in caſibus aut tutius amplectendum, aut ab actione abſtinendum, ubi vel minimum periculum ſit aberrandi. Quod quam inhumanum ſit & ferale, quis non intelligit, in hac noſtræ naturæ & intelligentiæ imbecillitate, atque exiguo earum rerum numero, de quibus certa nobis affulget cognitio, præſertim in veritatibus rerum particularium, & circumſtantiarum ſingularium, quibus actiones noſtræ morales implicantur; ut ſi hac regula ſtandum foret, non aliqua tantum, ſed pleraque præcepta, juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, eſſent impoſſibilia, deficiente gratia tanta ac tali, quæ ita afficeret & irradiaret animum, ut certum ſemper poſſit facere de actione ponenda, aut omittenda judicium. Non ſolum theologia omnis moderna caſuum, & moralium deciſionum, qua inter ſe diſquirunt, & rationum pondera librant, merum eſſet ludibrium, verum etiam actiones fere

omnes

omnes tam naturales, quam morales, imo & ſupernaturales ceſſare deberent. Vix ſine peccandi periculo aliquis neceſſitatibus naturæ vacaret: cum nemo unus certus ſit ſemper, an non, dum cibum ori ingerit vitæ conſervandæ ſalutarem, nocivum, & forte etiam venenatum ſumeret cibum, jam homicidii reus quantumcunque ignarus periculi. Væ, ſi ita eſt, medicis, aut ægris etiam medicinam ſumentibus, quam ſæpe contingit, dum exiſtimatur profutura, obeſſe, & vitam etiam eripere. Jam vel ipſum periculum, cui ſe quis committit, culpa non vacabit. In moralibus actionibus longe majus, & perpetuum erit periculum, & peccatum infinitum, nec vel ſacerrimæ actiones tranſigi, nec jam ſacramenta ipſa tuto ſumi poterunt, cum nunquam certo conſtet, an non defectus aliquis partium eſſentialium, aut integrantium, miniſtri præſertim intercedat.

II. In tanta doctorum diverſitate, & varietate circumſtantiarum, incertitudine eventuum, ignorantia caſuum, & factorum cum actionibus ipſis implicatorum præſentiſſimum in actionibus fere omnibus adeſſet formidandum malum, & peccatum. Niſi perſuaſi ſimus de divinia benignitate, bonam fidem

Nec tamen quælibet Probabilitas, niſi major, æqua morum cenſura eſt.

noſtram, ac conſcientiæ judicium, etſi non certum, & exploratum, reſpici. Juxta quod dum agimus, etſi falſi ſimus, noxæ tamen haud datur, ſed a peccato formali excuſat rectæ rationis dictamen, ſecundum æquam morum cenſuram rigidiorem inter & remiſſiorem, ita ut nec cognitione certa opus ſit, atque manifeſta veritatis poſſeſſione, nec tamen etiam ſufficiat quælibet Probabilitas, aut æqualium rationum, quando mentem dubiam hærere oporteret, aut etiam minorum, quando omnino prudens haud foret conſcientiæ judicium; ut Probabiliſtæ ſentiunt, fruſtra quibusdam ex illis hanc æquam morum cenſuram cum rigore Janſeniſtico confundere nitentibus Caramuele, & Terillo calumniæ auctoribus, attrocis ſane, & maxime injurioſæ in tot ſummos Pontifices, ac paſtores eccleſiæ ex univerſa eccleſiaſtica hierarchia: tum etiam innumeros doctores omnium ordinum, non eorum ſolum, qui ſententiam hanc, ſeu Probabilioriſmum tuentur, ſed etiam ipſorum Probabiliſtarum, plerisque fatentibus avitam hanc eſſe in catholica eccleſia ſententiam, ſuam vero novam, quamvis jam ante Jansenium impugnatam. Ut adeo utrique calumnientur, qui vel Probabilſmi impugna-

tio-

Digitized by Google

tionem ex Janſeniſmo derivant, aut Probabilioriſmo notam ac ſtigma Janſeniſmi inurunt: cum ipſi Probabiliſtæ, præſertim poſt decreta Pontificum, in plerisque materiis eum ſequi teneantur, & non poſſit non tanquam pia, ſancta, & ſecura ſalutis via haberi, ante Janſeniſmum ſemper in eccleſia retenta. Ut qui eam cum Janſeniſtico confundunt Rigoriſmo, occaſionem præbeant etiam hic jactandi, phantaſma eſſe tantum Janſeniſmum practicum, qualem dicunt eſſe dogmaticum ejus patroni.

III. Quoniam vero recentior theologiæ moralis tractatio potiſſimum ſpectat tribunal pœnitentiæ, quo illius miniſtri apti, & expediti reddantur ad exercendum judicium; hic maxime attendenda eſt & explicanda æqua morum cenſura, atque hic ſe prodidit Rigoriſtarum inſania, funeſtique effectus, eo majori detrimento, quo eſt hujus tribunalis frequentior uſus, & acceſſus, atque major non neceſſitas ſolum, ſed etiam pietatis nunc exercitatio. Non diffitetur *Balthaſar* FRANCOLINUS, qui hanc materiam copioſe pertractavit, frequentius quidem in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ ex nimia benignitate, quam ex nimio rigore peccari, recte tamen judicat, majus eſſe pecca-

Nec ſeverior contra diſciplinam hodiernam pœnitentia peccatorum ſtatuenda.

tum nimium rigorem, quam nimiam benignitatem. Quia nimirum exaſperat pœnitentem, & ex diſpoſito ſubinde etiam facit indiſpoſitum: removet pœnitentem a ſacramentis, averſum facit ab eccleſiæ miniſtris, & in deſperationem facile inducit. Quam hoc ſit adverſum muneri, quod ſuſtinet ſacramenti pœnitentiæ diſpenſatores, atque miniſtri legis præſertim gratiæ, & remiſſionis peccatorum per Chriſtum, nemo non videt. Cum ipſe Chriſtus tot nobis reliquerit ſuæ erga peccatores, quos vocare venerat, benignitatis ſpecimina: hominum induens, atque cum hominibus converſatus, cum peccatoribus haud reſpuens commercium, tam doctrina, & verbis, quam etiam exemplo ſuo docens ſuos miniſtros, quales ſe erga peccatores debeant exhibere. Scribas etiam, & Phariſæos redarguit, quod alligarent onera gravia, & importabilia, eaque imponerent in humeros hominum. Quibus perſimiles ſunt Rigoriſtæ hodierni, qui in eos etiam cenſuram ſtringunt, ut olim Phariſæi in Chriſtum, quod cum peccatoribus manducaret, qui Chriſti veſtigia prementes comes ſe erga peccatores exhibeant. Eccleſiæ antiquæ diſciplinam, & doctrinam Patrum jactant, deſpiciunt vero novam in eccleſia rece-

Digitized by Google

ceptam, recentioreſque doctores. In antiquis quærunt tum canonibus, cum ſcriptoribus, quæ præſenti diſciplinæ non quadrant, nec conveniunt quidem, ut putant, cum evangelica lege, ac principiis, ſed potius cum Phariſaicis, & tum veterum, cum etiam recentiorum hæreticorum in eccleſiam cavillis; quibus ſemper ſolemne fuit magno ſupercilio carpere, quæ in eccleſiæ uſibus, ac conſuetudine erant: conſilio plerumque uſum cum abuſu e medio tollendi, nullo commodo temperamento, & prudenti œconomia, qua obtinetur peccatorum converſio, & pœnitentia, non pœnitentium pervertitur, & avertitur animus ſpe veniæ aut penitus everſa, ut olim Montaniſtæ, & Novatiani aut nimium exaſperata, ut nunc Rigoriſtæ faciunt. Hi jam eundem rigorem omnibus indiſcriminatim peccatoribus præſcribi, & imponi debere contendunt, qui juxta veterem pœnitentiæ diſciplinam apertis, & gravioribus criminibus pro medicina ſimul ſalutari, & vindicta in utroque foro, utraque poteſtate tantum injungebatur. Ut adeo indiſcretum ſit conſilium velle in omnibus contra voluntatem eccleſiæ, ac paſtorum vigilantiam (penes quos in his rebus legitima eſt auctoritas, nec unquam pru-

Digitized by Google

dens deerit cura) obtrudere veterem præ nova diſciplinam, illis prætermiſſis, quæ hodie incumbunt, onera veteribus inſueta, & mutuo incomportabilia, nec paſſim, ac promiſcue imponenda: neceſſitate injuncta eorum, quæ hortatu, & ſuaſu paſtorum olim inculcabantur, & pia pro viribus ſuſcipiebantur voluntate, rite perſpectis circumſtantiis omnibus, & quid humeri, ac tempora ferrent, ne Phariſæorum more importabilia onera inponerentur. Quibuscum recte hodierni comparandi veniunt Rigoriſtæ, qui erga alios immiſericordes paradoxam doctrinam ſuam externa ſanctitatis ſpecie fucatam tuentur, quales deſcribit FRANCOLINUS in Clerico Romano inſcriptione ſtatim operis veteris eccleſiæ ſeveritatis a calumniis vindicatæ. *Quos igitur*, ſcribit, *deprehenderis in facie ſanctos, modeſtos, compoſitos, eccleſiaſtice in toto habitu comptos, ſed habentes ſemper quid interrogent, quid inquirant, quid dubitent, quid objiciant, quid non probent, quid reſecent, quid reſtringant, quid addant, quid emendent, ſemper muſſantes, ſemper deflentes noſtram ætatem, noſtros mores, noſtram doctrinam, habentes nunquam quod excuſent, quod indulgeant, quod laudent, niſi aut ſua ſint, aut ſuorum, quos evehere curant, ut eve-*

bantur

bantur ipſi, & dominentur in cleris, aut protegantur; habe illos ut noſtrorum temporum Phariſæos, & veri nominis Rigoriſtas. Eorum vero libros facile dignoſces ex auctoris regione, academia, familia libri prima facie, modo probandi aſſertiones ſuas allegationibus &c. Noſti regiones occulto morbo laborantes, academias, familias, collegia. Hæc ſuſpicionem faciant. Ea vero celebris in fronte libri promiſſio tradendi doctrinam ſacræ ſcripturæ, conciliorum & Patrum ſuſpicionem augeat; non enim, ut olim, promiſſio nunc eſt in recentibus his compendiariis dogmaticis, moralibus ac textualibus theologiis, ſed proteſtatio eſt quædam, qua auctor ſignificat, ſe ſcholaſticam viam in probando, confirmandoque aſſertiones ſuas non inſiſtere, non ſpeculari, non rimari, ſed textus congerere veterum doctorum, recentiorum nunquam, ſeque ſolum proinde velle eſſe veterum ſcriptorum, & canonum interpretem &c.

Ac quidem in ſacramento quoad dolorem.

IV. Quam ſit hic arduum æquam tenere lancem, illud periculum docet, quod ii ipſi utrinque oppoſitis ex partibus incurrerunt, contra quos æquam ſtabilimus morum cenſuram, non ſolum in agendis, omittendisque rebus, verum etiam, quod eſt caput & fundamentum chriſtianæ ac evangelicæ legis,

in reſarciendis damnis, reſtaurandoque ſtatu gratiæ per peccatum, transgreſſionemque legis amiſſo. Redintegrationem iſtam ſine noſtro interventu nunquam fieri per ſeſe patet. Plus vero requiri, ſi reconciliatio extra ſacramentum fiat, extra controverſiam eſt. Rigoriſtæ errore eodem confuſæ cum antiqua novæ diſciplinæ pœnitendi, hoc diſcrimen non ſatis attenderunt, eosdemque actus in pœnitentia ſive extra, ſive cum ſacramento a nobis requiſiverunt, & tantum non, cum Novatoribus, timorem pœnæ omnem tanquam malum habuerunt, ſolo puro amore DEI, qualis etiam extra ſacramentum juſtificationem præſtat, pro neceſſaria noſtra diſpoſitione conſtituto. Timor pœnæ, quo ab offendendo DEO abſtrahimur, atque cum eo offenſo in gratiam redire permovemur, ſi bonus, ac utilis non foret, non nos DEUS eo incuſſo in officio continere inſtituiſſet. Quæſtio tantum eſt, quantum timor iſte proficiat ad amorem etiam juſtitiæ & excluſionem perverſæ voluntatis, qua peccato adhærendo a DEO receſſimus. Totum hoc opus divinæ gratiæ eſſe nemo Catholicorum ambigit, eſtque res clariſſime a Concilio Tridentino explicata, *Dum peccatores*, quæ ſunt ipſa

Con-

Digitized by Google

Concilii (*a*) verba, *ſe eſſe intelligentes a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam DEI miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur fidentes DEUM ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Hic per gradus proceſſus omnis explicatur, quo ex timore paulatim animus ad juſtificationem diſponitur, progrediturque, ut ſuppliciorum metu abſterriti mortales, non inviti tantum abſtineant a peccando, retenta intus voluntate peccandi, ſi tanta ſupplicia aut non irrogarentur, aut ea evadere liceret, quod non omni timori eſt proprium. Quotidie enim experimur a multis nos metu mali abſtinere, nec tamen invitos, imo metu iſto voluntatem fugæ illius conciliante, atque operante. Ita ergo minime ſincera eſt vel peccati fuga, vel pœnitentia, ſola pœnæ evadendi cauſa; ſed inde enaſci debet & odium peccati, amorque juſtitiæ, idque ob DEUM juſtitiæ fontem offenſum. Qui eſt timor filialis, non tam ne puniamur, quam ne a DEO ultimo fine noſtro & ſummo bono in ſummum malum cadamus per pœnam, atque a fine noſtro ultimo deficiamus. Senſus talis ſine amore DEI,

a.

(*a*) Seſſ. VI. c. 6.

quatenus eſt noſtrum ſummum bonum & ultimus finis, non concipitur. Aliter ac in timore ſervili contingit, ubi ſolum pœnæ evitatio, non offenſi Numinis diſplicentia locum habet, nec ita voluntas noſtra, quæ amore trahitur, a mali propenſione abſtrahitur. Quod omnino neceſſarium eſt, ut amor juſtitiæ concipiatur, & DEUS diligi incipiatur. Quoniam vero quoad juſtificationem hæc omnia intus ſupernaturaliter fiunt, atque in anima, non opus eſt hic multum angi de ſenſibili dolore & pœnitentia, qualem in jactura rerum præſentium ſentimus præſertim ſenſibilium, quæ ſenſus ſolent movere. Cum hic anima, intellectus & voluntas commovendæ, ſint facultates ſpirituales, immotæ ſæpius medias inter vehementes corporis commotiones, imo his frequenter impedimentum ingerentibus motioni præprimis ſupernaturali, cujusmodi hic ſolum locum habet: cui ſolent humana corruptæ noſtræ naturæ molimina potius obſiſtere, & obicem ponere. Unde contingit cito optima ceſſare propoſita, ſtudia, & conatus. Quod non attendunt Rigoriſtæ, atque hinc fere origo omnis eorum tergiverſationis & cunctationis, dum non actum tantum, ſed habitum, longamque perſe-

perſeverantiam ad actus pœnitentiæ requirunt: putantque, haud poſſe eſſe ſincerum, & verum eum dolorem, & propoſitum, cui non conſtanter inhæretur, & etiam pravus adhuc ſubſiſtit habitus, atque ſubinde relapſus contingit, cum dolor, & propoſitum conſiſtat in præſenti acerbo animi ſenſu, ſeriaque non amplius peccandi voluntate.

Et emendationis ſerium propoſitum, ut tuto poſſit abſolutio impendi.

V. Quodſi hic cavillari velint Rigoriſtæ, cogitent ob imbecillitatem animi, atque inconſtantiam noſtram, qua in hoc mortali corpore, naturaque corrupta vix diu eidem inſiſtimus actui, ſæpiusque contingit voluntatem ſuccumbere per contrarium actum peccato, quod antea forte acerbe deflevit, & deteſtata eſt. Quando utique priorem pœnitentiam ſeriam, & ſinceram fuiſſe negari haud poteſt, quidquid poſtea acciderit, atque humana fragilitate, & malignitate fuerit retractatum, quod priorem contrarium actum, & propoſitum non vitiat, aut fucatum, falſumque eſſe demonſtrat. *Ille enim eſt deriſor*, ut habet S. THOMAS, (*a*) *& non pœnitens, qui ſimul, dum pœnitet, agit, quod pœniteat, vel proponit iterum ſe facturum, quod geſſit, vel etiam actualiter peccat.* a.

Quod

(a) In 3. part. q. 84. a. 10. ad 4.

Quod autem aliquis poſtea peccet vel actu, vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim vere currit, qui poſtea ſedet, ita vere pœnituit, qui poſtea peccat. Non igitur ex eo, quod quis relapſus fuerit, aut in pravo ſit conſtitutus habitu, ſtatim ei deneganda fides de præſentis pœnitentiæ ſinceritate, animoque, & propoſito non amplius peccandi. *Quamvis ergo forte*, inquit
a. FRANCOLINUS, (*a*) *non mereatur fidem in eo, quod dicit, ſe non peccaturum amplius, nam pravus habitus facile eum ad aliquem lapſum pertrahet, meretur fidem in eo, quod dicit, ſe habere veram, & abſolutam voluntatem non peccandi amplius: cum enim ſciat hanc requiri, ut reconcilietur cum DEO, & veniat ad hunc finem, ut venire credendus eſt, nemo enim ſupponitur malus, niſi probetur, niſi videlicet adſint ſigna actualis malitiæ, jam credi debet, quod hanc voluntatem habeat, dum ſerio dicit ſe eam habere.* Citat pro ſe SUAREM aſſerentem, non oportere, ut confeſſor ſibi perſuadeat, & judicet etiam probabiliter, ita eſſe futurum, ut pœnitens a peccando abſtineat, ſed ſatis eſſe, ut exiſtimet nunc habere tale propo-

po-

(*a*) Cleric. Roman. L. II. diſp. 10. n. 9.

Digitized by Google

poſitum, quamvis poſt breve tempus illud ſit mutaturus. At hic caute eſt procedendum, & judicium ferendum. Ego ſane nec facile pro ejusmodi peccatore, nec pro verbis iſtis vadem me præſtem. Cum enim ea ſit propoſiti, ac eſſe debeat natura, ut in futurum proſpiciat, circumſpiciendum, an cum tali exiſtimatione ſpes affulgeat emendationis, ut, ſi non ab omni actu peccandi, & relapſi ſtatim ſit immunis, ſaltem pravo habitu ſtudioſe ſe exuat, & in hunc finem ſpem faciat peccator ſub onere m ligni habitus gemens, atque ſignificatione ingentis doloris confitens, ſancteque ſpondeat ſe omnem operam daturum, commodaque remedia, tum a confeſſario, tum propria ſolicitudine ſuppeditata adhibiturum. Quodſi in hoc ſegnem, & deſidioſum deprehendat pœnitentem confeſſarius, & poſt repetitas confeſſiones nullam emendationem, atque curam, ſtudiumque pravi deponendi habitus deprehendat, ſecus erit judicandum. Tunc enim præſumptio ſtat contra ipſum, quidquid ore proferat: licet alias in foro conſcientiæ reo ſit credendum pro ſe, & contra ſe, is tamen, ſi ſæpe ſpem fefellerit, nec conatus reſponderit, facto propoſito teneri non poteſt; queatque dilatio abſolutionis

me-

medium eſſe, quo peccator abſterreatur, ac ſalutari perculſus timore tandem reſipiſcat. Semper autem præ oculis habendus finis fori pœnitentialis reconciliatio, & emendatio peccatorum, non mali exacerbatio, & deſperatio, quæ poteſt ex indiſcreta negatione abſolutionis contingere. Cum contra gratia ſacramentalis multum juvet emendationem, peccatore iterum in gratiam cum DEO redeunte. Quod dum non attendunt Rigoriſtæ, atque veterem cum recentiore confundunt diſciplina, ſolent hic cum primis impingere promiſcue ablutionem differendo. Quaſi ſimiliter olim, omnibus poſt baptiſma peccantibus dilata fuerit abſolutio, & nonniſi poſt graviſſimos pœnitentiæ labores impenſa. Præterquam enim quod necdum ſatis de momento datæ abſolutionis conſtet inter eruditos etiam de illis, qui publicam, & luctuoſam ſubierunt pœnitentiam, demonſtrandum foret iisdem peccatis, & peccatoribus omnibus, quibus nunc impendi ſolet pœnitentia, tunc etiam eodem modo fuiſſe impoſitam.

Cum ſit alia hodie non quidem pœnitentiæ

VI. Qui publicæ pœnitentiæ antiquæ hiſtoriam, & diſciplinam ſpectant, & juxta eam vitam, & ſtatum chriſtianorum metiuntur, de veteribus temporibus,

bus, & moribus ſanctiſſime exiſtimant, atque noſtra illis comparata tempora, & vitam deterrima habent. At veterum ſcripta de vita, & moribus antiquis volvens intelliget, mala, & vitia inundaſſe, corrupiſſeque chriſtianos, tunc etiam, atque illic, ubi maxime rigor obtinuit: ut, ſi ſecundum eum punita omnia peccata fuiſſe quis in animum inducat, eccleſias omnes pœnitentibus repleat, & unam fere horum claſſem fuiſſe credere debeat. Quod falſum iterum diſcet ex antiquis monumentis. Solent hic Rigoriſtæ, dum legunt SS. Patres in vitia invehi, cauſari ſtilum, ac modum loquendi oratorium, nec ad litteram omnia rigide ſumenda eſſe clamant. At cur non idem dici debeat, quando ad pœnitentiam hortatur, & virtutem, dum ſuos, ac majorum canones, & ſaluberrima inſtituta laudant, & ea ſuſcipienda monent, ut hic omnia in ſummo rigore ſumantur, atque inevitabilis neceſſitatis jura ſtringant. Quod ſi ſolum Rigoriſtæ commonerent fideles populos ad ſtrenue ineundam pœnitentiæ viam, ad intenſum amoris ſenſum, ad ſtudioſam, laborioſamque ſatisfactionem, per aſpera quævis, lugubris pœnitentiæ exercitia hortarentur: atque carperent etiam lanquidos, inertes, ac laxos tribunalis

obligatio, ſed diſciplina.

pœ-

Digitized by Google

pœnitentiæ miniſtros, qui ſuo deſint officio, nec peccatores pro viribus ad aſperam pœnitentiæ viam impellerent, hactenus laudandi forent, eſſetque egregius eorum zelus comparandus cum veterum paſtorum, & SS. Patrum cura, & providentia. At omnia exaſperare, & ſub neceſſitatis lege præſcripta velle, quæ uſquam factitata, & inculcata ſunt, id æquam excedit cenſuram, ab Eccleſia nunquam, nec in conciliis generalibus, nec decretis pontificiis univerſim, & diſtrictim definitam. Et quæ olim hinc inde a particularibus eccleſiis, canonibusque pœnitentialibus ſtatuta ſervabantur, dum eccleſiaſtici principes, penes quos eſt auctoritas, poteſtasque, non urgent, temerarium eſt a privatis doctoribus nunc demum intempeſtive revocata velle: cum tot inſignes, ac ſancti doctores harum rerum periti, atque priori praxi viciniores hoc ſibi negotium minime ſumendum duxerint. Haud dubie intellexerunt, cum diſciplina, & frequentia ſacramenti pœnitentiæ, ut viget, neutiquam convenire antiquas pœnitentiæ ſtationes, & canones, non promiſcue omnibus peccatis, aut peccatoribus præſcriptos: nec ſemper cum eodem rigore operum ſatisfactoriorum conjunctos præſertim primis temporibus,

ut

Digitized by Google

ut vel omnium rigidiſſimum in hac re nos docet concilium Eliberitanum, ſolam excommunicationem, eam quidem extremi rigoris uſque ad extremum mortis articulum duraturam, multis criminibus præſtituens: non utique deſperata apud tribunal judicis divini venia, ſed diſtricta eccleſiæ diſciplina in foro externo, ac judiciali, qui ſi cum interno confundatur, qualiter hodie exercetur, exurgit Rigoriſmus ille intolerabilis, quem impetimus. Non id volumus, quaſi vetus diſciplina pœnitentiæ ſecundum canones pœnitentiales non pertinuerit ad ipſam interiorem reconciliationem, & peccati coram DEO expiationem: imo hoc omnino, ac pro certo tenemus. In eo ſolum & diſcrimen, & convenientiam veteris & novæ diſciplinæ ponimus, quod nunc forum internum maxime frequentetur, externum autem ab eo diſſociatum fere ad tribunal fori contentioſi redierit, nec amplius pœnitentia coram eccleſia facta, etiam immunitatem alterius fori præſtet. Quam ob cauſam olim libenter expetebatur, & ſtudioſe obibatur ordinarium eccleſiæ tribunal ad ſatisfaciendum DEO & hominibus, ſecundum diverſa ſcelerum genera, & præſcriptas illis expiandis pœnitentiæ ſtationes, non paſſim o-

mnibus peccatis, & peccatoribus impoſita neceſſitate pœnitentiam illam ſecundum canones agendi, quibus hodie peccatis & peccatoribus incumbit obligatio & lex, non aliter quam per claves eccleſiæ ſolutionem quærendi.

Nec eadem olim ac hodie quoscunque peccatores ligandi praxis.

VII. Quam fuerit autem ſevera & diuturna vetus pœnitentia (quod tamen de prima eccleſiæ ætate dici non poteſt, ubi ea plena amoris & benignitatis, & vel ipſo MORINO (a) teſte ante NOVATUM brevis admodum) ſemper tamen etiam, nihil morantibus quorundam exceſſibus, inſignis moderatio & benignitas enituit, quod nunquam non cum relaxandi ab epiſcopis facultate imponeretur, nec canones neceſſitatem imponerent, tam diuturnas & rigidas imponi pœnas, & nec multi jugum illud ſubirent, plurimis autem omnino remitteretur: militibus exempli gratia niſi militiam deponerent, magiſtratibus niſi iis abdicarent. Juniores etiam hic eximebantur, qui ferendis oneribus pœnitentiæ cenſebantur impares, item ſeniores quadraginta annis, & conjugati, niſi ex alterius conjugis conſenſu; ac præcipue fœminæ. Ne quid de variis redemtionum modis dicam paulatim accreſcente rigore pœnitentiæ, & multipli-

(a) De Pœnit. L. II. c. 21. n. 7.

Digitized by Google

plicatis canonibus pœnitentialibus, cum primum pauciſſimi fuerint, & vix maxima ſibi eccleſia ligarit crimina. Quam parvus eorum numerus eſſe debuerit, qui huic rigori ſubjacuerint, hinc conjicere licet: maxime ſi admittatur, nec neceſſitatem illius impoſitam, nec aliter eam injunctam pro notatis in canonibus criminibus, quam nunc in foro externo, aut ſponte confeſſis, aut convictis ſceleris & deprehenſis. Clericos ea exemtos jam fecit canon inter apoſtolicos XXXII. ita ſtatuens: *Qui peccatum ad mortem peccant clerici de gradu quidem dejiciuntur, a laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipſum.* Docet autem Siricius Ep. ad Rusticum *Narbonenſem* eam deinceps immunitatem manſiſſe ſacrum ordinem. *Alienum eſt*, ait, *a conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pænitendi, quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt, ſacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo? unde hujusmodi lapſis ad promerendam miſericordiam DEI privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit condigna, ſit etiam fructuoſa.* Nolim ego definire, quænam

Digitized by Google

ſit illa privata ſeceſſio, illud conſtat ex poſterioribus Pontificum decretis non ſolum preſſius canonem apoſtolicum ſervatum, ne bis in idem vindicaretur delictum, verum etiam per manus impoſitionem reconciliationem non eſſe impenſam ſacerdotio, etiamſi gravis detruſionis in monaſterium pœna deinceps fuerit non infrequenter ſtatuta. Ita Joannes II. in ep. ad Cæsarium Arelatenſem epiſcopum in cauſa Contumeliosi epiſcopi Regienſis mandat, ut deponatur ob ſua crimina, totaque reliqua vita monaſterio incluſus, *veniam a DEO poſcat, quam ab eccleſia ſperare non poterat*. Atque Zacharias in reſponſis ad Pipinum reconciliari presbyteros per manus impoſitionem vetat. Quæ relata in Francolini *clerico Romano* leges, unacum exemplo monachorum in carcerem detrudi ſolitorum in pœnitentiam, narrante Climaco revelatum cuiquam ſancto viro cœlitus de quodam ibi defuncto antequam reconciliaretur, DEUM pœnitenti peccata remiſiſſe. Quod ſolatium eſſe debuit relapſis omnibus in antiqua eccleſia nunquam iterato ad pœnitentiam admiſſis. Nemo ſibi in animum inducat mitius cum illis fuiſſe actum, nec tamen ullum extat veſtigium aut pœnitentiæ illis impoſitæ,

aut

Digitized by Google

aut abſolutionis impenſæ; penitus autem eos pro derelictis & rejectis habitos nemo credet de pia matre eccleſia, niſi eos divinæ reliquerit miſericordiæ aut juſtitiæ. Quod de illis S. AUGUSTINUS in celebri ad MACEDONIUM de hac re conſultantem epiſtola in reſponſis dat. *Quamvis*, inter alia ſcribit, *in eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, DEUS tamen ſuper eos ſuæ pænitentiæ non obliviſcitur.* Et alia occaſione Novatianus (*a*) quidam, apud SOCRATEM, ATTICUM Cpolitanum ita alloquitur: *Præter peccatum idololatriæ ſunt alia multa peccata ad mortem, uti ex ſacris ſcripturis perſpicuum eſt, ob quæ vos ſolum clericos, nos laicos etiam communione excludimus, poteſtate ſoli DEO illis ignoſcendi relicta.*

VIII. Et quidem ſi culpæ remiſſionem a reconciliatione pœnitentiæ & ſatisfactionis ſeparemus, res propalam eſt, & Rigoriſtis omnem cavillandi demit occaſionem ac materiam: qui utique non poteſtatem ipſam ligandi, ſolvendique, ſed illius modum, diſciplinamque carpunt, quod a veteri diſtet nova. Quaſi non ſemper penes eccleſiam reſederit diſpenſandi poteſtas & arbitrium, quod ſemper ſibi integrum ſer- **Aut quæcunque peccata clavibus eccleſiæ ſubjiciendi.**

(*a*) Lib. VII. c. 25.

ſervavit & uſurpavit, etiam dum vigor antiquæ diſciplinæ & canonicæ pœnitentiæ obtinuit, prout vidit expedire privato pœnitentis, & publico fidelium bono: *Ut ſi peccatum ejus*, utor verbis S. Augustini (a) *non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati eccleſiæ videtur antiſtiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis, agere pænitentiam, non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Vides quanta concurrere debebant, donec ad plenam ac publicam pœnitentiæ actionem proceſſum. Nimirum ſi peccatum fuerit in gravi confitentis malo, hoc eſt, grande per canones notatum ſcelus, & in ſcandalo aliorum adeoque publicum: ſi ita utilitati eccleſiæ expedire viſum fuerit antiſtiti. Quod apprime notandum, & Rigoriſtas omnino ferit, qui contra mentem totius eccleſiæ paſtorum, quorum eſt dignoſcere & ſtatuere, quod expediat utilitati eccleſiæ innovandam pœnitentiæ diſciplinam, importune & intempeſtive vociferantur. Et quidem indiſcriminatim pro omnibus peccatis & peccatoribus, cum antiqui hic ſumma moderatione & cautione etiam in majoribus criminibus

(a) Lib. de Pœnit. medic. c. 7.

Digitized by Google

bus & gravioribus ſint uſi, nihil attenta quorumvis cenſura, jam tum etiam indiſcretum rigorem forte flagitantium. *Hac charitate*, ait itidem S. AUGUSTINUS (*a*), *præditi eſſe debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripiamus, aut putant nos ſcire, quod neſcimus, aut putant nos tacere quod ſcimus. Sed forte quod ſcis, & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo, non accuſare.* In exemplum diſpenſationis ac œconomiæ ejusmodi adducit crimen adulterii, quod inter prima & præcipua capita canonum, & pœnitentiæ publicæ & luctuoſæ fuit cum idololatria & homicidio, in quæ graviſſime & longo annorum tractu per varias ſtationes pœnitentium, & opera ſatisfactoria fuit vindicatum. Sed nunquam tamen ea conſtanti lege & neceſſitate, ut non pro diverſitate locorum, temporum, perſonarum, & aliis infinitis circumſtantiis, aliud fuerit ſervatum: ab initio ſtationibus pœnitentiæ omnino non obtinentibus, & cum poſtea inductæ, non admodum diu conſiſtentibus, varietatem & mutationem facile ſufferentibus, utpote nulla conſtanti lege & neceſſitate præſcriptis. Unde BALSAMON relatis durioribus in adulteros & for-

(*a*) Serm. XVII. de Verb. Dom.

fornicarios S. Basilii canonibus hanc memorabilem addit ſententiam: *Quæ præſentibus duobus canonibus decreta ſunt, quod ad dictionem attinet, clariſſima ſunt, ſed tamen quod ad praxin attinet, ſunt omnino difficillima. Nemo enim ea ratione curatur, quæ illic continetur, & niſi eſſet inenarrabilis clementis DEI miſericordia, omnis caro periiſſet.* Certe difficultas ſemper magis aucta ſucceſſu temporum in operibus ſatisfactoriis, jejuniis, cilicio, inceſſu nudis pedibus, abſtinentia a balneis, thoro, militia, adminiſtratione cujusvis muneris publici, detonſione capillorum, & in monaſteria aut carceres detruſione, quod (notent Rigoriſtæ) potius diſciplinam pœnitentiæ deſtruxit, quam promoverit. Cum primo ſola abſtentio locum habuerit, atque teſte etiam Juenino in oriente poſt ſæculum quintum eo iterum fere res redierit, nullo in canone amplius facta ſtationum & claſſium pœnitentiæ mentione. In eccleſia latina licet rigor diutius duraret, ac etiam ingraveſceret, pauci tamen eum ſubibant peccatores. *Perrari namque ſunt hodie*, inquit Jonas Aurelianenſis ſcriptor ſæculi noni, *in eccleſia, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla & auctoritas canonica ſancit.* Aliquando quidem vi adacti tum

brachii

Digitized by Google

brachii ſæcularis, cum etiam cenſuræ eccleſiaſticæ; ſed utrumque argumento eſt, de illis tantum criminibus agi, quæ publice punienda eſſent.

IX. At ſeparato jam interno ab externo foro, judices vel ſæculares, vel eccleſiaſtici huic muneri deputati rigorem externæ diſciplinæ ſi non eadem pœnitentiæ ſanctitate, tamen non diſſimili judicii diſtrictione præſtant, ut fruſtra Rigoriſtæ hinc arcani pœnitentiæ tribunalis diſciplinam hodiernam carpant, quæ reconciliatione peccatorum cum DEO potiſſimum occupatur: ubi peccata indiſcriminatim deponuntur frequenter a fidelibus, non tantum pro neceſſitate reconciliationis, verum etiam exercitio pietatis, non tam pro pœnitentia canonica ſolvenda, quam abſolvendis peccatis omnibus in tanta frequentia ſacerdotum præſentiſſimo contra vitia & morbos animi remedio in pœnitentia privata omnium peccatorum quodammodo melius, quam in publica olim non adeo frequenti, extantiorum tantum criminum, & canonicæ pœnitentiæ. Cui quoad forum internum eo facilius per occulta opera pœnitentiæ ſatis fit, quod vindicta criminis foro externo & contentioſo, ab interno ſeparato penitus, ſit reſervata. Ut adeo

Separato interno & externo pœnitentiæ foro.

mirum haud ſit, eccleſiæ paſtores (quod modo nituntur rigidi quidam facere doctores) quam ſancti & vigilantes etiam rexerint hactenus eccleſiam, quamque plurima celebrarint concilia, nunquam tamen veterem canonicæ pœnitentiæ diſciplinam reſtaurandi conſilium cœpiſſe. Quin imo faciliores ſeſe ſemper magis præbuerunt in redemtionibus & indulgentiis pœnarum canonicarum concedendis. Cum jam peccata omnia per abſolutionem ſacramentalem tribunali arcano pœnitentiæ ſubjiciantur, alteri tribunali externo reſervata vindicta publica, quæ olim per pœnitentiam canonicam ſolum, ac unice impendebatur, poteratque ſatisfieri non DEO ſolum & eccleſiæ, verum etiam tribunali civili: unde ille rigor pœnitentiæ canonicæ in ea ſcelera, quæ jam ſæpe graviſſimis pœnis bonorum omnis generis jactura ac ſuppliciis, ipſaque diriſſima plectuntur morte. Patet hinc etiam diverſitas redemtionum & indulgentiarum hodiernarum longe facillimarum a prioribus longe difficilioribus, præſertim militiæ ſacræ, quæ etiam pro externo faciebant foro: cum noſtra pro interno ſolum ſint & arcano, quod olim pœnitentiam, niſi forte ſpontaneam propriæ confeſſionis, canonicam non habebat: ut adeo

Digitized by Google

diſciplinæ jactura dici non poſſint indulgentiæ iſtæ ac privatæ pœnitentiæ, licet canonibus parum reſpondeant, & inæqualibus admodum operibus compenſentur. Cum nec vigente diſciplina canonica potuerint aliter peccata occulta expiari, aut ea quibus canones nihil præſcripſerunt; nec aliter illi peccatores ſatisfecerunt, qui pœnitentiam publicam aut non potuerunt, aut non debuerunt ſubire.

X. Nihil ergo ad Rigoriſtarum calumnias contra hodiernam diſciplinam, & intempeſtiva conſilia revocandæ pœnitentiæ canonicæ retundenda aptius eſt, quam ipſa vetus diſciplina ſecundum omnes ſuas partes ſpectata, & rite expenſa. Publicam pœnitentiam ſemel tantum obire conceſſum fuit, eaque tantum pro enormioribus illis peccatis, quibus in canonibus erat præſcripta pœnitentia quoad forum externum, adeoque pro publicis aut publicatis peccatis. Primum quidem ultro concedunt, nec ſecundum negare poſſunt: at tertium, quod cauſæ ſuæ jugulum petit, ut admittant, adduci non poſſunt, contenduntque pœnitentibus injunxiſſe eccleſiam publicam occultorum quoque criminum ſaltem pœnitentiam, ſi non confeſſionem. Non deſunt quidem, qui

Cum unum olim fuerit quoad publica peccata, aut ſponte confeſſa.

qui omnia lethalia peccata eidem rigori pœnitentiæ publicæ ſubjacuiſſe contendunt. Et hoc in tantum permittit *Caſp.*
a JUENIN, (*a*) quatenus pœnitentia ſumatur pro pœnis publicis non determinatis quidem per canones, ſed epiſcoporum arbitrio commiſſis. Intelleximus quidem paulo ante ex S. AUGUSTINO, epiſcopos occultam etiam in peccatores ſtrinxiſſe cenſuram, ſed idem tribus modis in eccleſia dimitti peccata teſtatur. In baptiſmate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ. Qui autem ad tertium illud genus, quo de nunc agimus, pertinuerint peccatores declarat catechumenis harum rerum ad-
b huc ignaris: *Ille enim*, eos alloquitur (*b*), *quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt pœnitentiam.* Anne ita locuturum fuiſſe S. Præſulem exiſtimas, ſi alia etiam minus enormia crimina pœnitentiæ illi tertio generis fuiſſent ſubjecta? An publice in ſermone credis ita infamaturum pœnitentes paſtorem mitiſſimum, ſi crimina occulta fuiſſent qualiacunque? Qui alias graviſſima adulteria ad ſe aliunde, quam a reis ipſis delata nonniſi occulte corripiebat,

ut

(*a*) De ſacram. T. II. diſſ. VI. q. 6. c. 7.
(*b*) De ſymb. ad catechum. circa finem.

ut antea intelleximus. Atque etiam INNOCENTIUS Pontifex epiſtola ad EXUPERIUM Toloſanum de iisdem graviſſimi ſceleris adulterii reis teſtatur, ſi occulti, nec communione eos privari conſueviſſe, nec habere latentia peccata vindictam, niſi forte ſponte ſua ſeſe prodere, ac confiteri voluiſſent ac pœnitentiæ ſubjicere, quales in veteribus monumentis laudantur, qui etiam occultos cordis ſui lapſus, ac voluntate commiſſa peccata confiteri haud renuebant.

XI. At communiter hoc in veteri obtinuiſſe diſciplina, atque peccata quævis publica pœnitentia expiata eſſe fundamento omni, ac veriſimilitudine caret in ea naturæ noſtræ conditione, & peccandi proclivitate, tam parvo olim publice pœnitentium numero, ut incredibile ſit, eos ſolum capitali crimine reos fuiſſe: tam graviter in corruptos mores antiquis ſcriptoribus omni ætate invehentibus, ut apoſtolorum, & apoſtolicorum virorum epiſtolæ genuinæ, deinceps vero ſcripta Patrum præſertim TERTULLIANI, CYPRIANI, AUGUSTINI, SALVIANI teſtantur. Ut ergo fideles illorum temporum ſacrilegi, aut rebelles habendi forent, ſi neceſſitati, & legi impoſitæ non obtemperaſſent; ſi neceſſitas fuiſſet quævis etiam occulta publice luen-

Non ad omnia hodie arcano pœnitentiæ tribunali exponi ſolita peccata.

luendi peccata: eccleſia autem importabili oneri ſacrum tribunal omnino horrendum, & exoſum reddidiſſet, ingenti ſcandalo, periculoque pacis, & charitatis præſentiſſimo. Cum nullum tamen omnino extet hujus rei veſtigium, conſtetque quam parvis initiis, paucisque criminibus primum canonica pœnitentia reſtricta, ſucceſſu tantum temporis creverit, donec tandem, ſeparato utroque externo, & interno foro, ea emerſerit confeſſionis ac pœnitentiæ diſciplina, qua etiam ad exercitium pietatis ſponte ſua intima quæque ſecundum omnes circumſtantias fideles paſſim ac frequentiſſime pondunt peccata. Hoc ſi aliquando factum eſt antiquitus etiam canonicis in delectis, jam pœnæ remiſſione dignus eſt habitus a canonibus impoſitæ, qui ſponte eſt confeſſus, cujusmodi canones vix pro occultis criminibus præſertim cogitationum exſtant prioribus ſæculis. Ac primum habetur canon Cabilonenſis concilii ſecundi, anno 839. omnia confitendi ſacerdoti peccata ejuscemodi: *Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus, quod quidam, dum confitentur peccata ſua ſacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu,*

motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio, ſcilicet ut & ea confiteamur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur. Quod ſane mirum videri debet, in tanta frequentia ſumendæ Euchariſtiæ illis ſæculis a PAULO tam ſevere inculcato præcepto, ut ſeipſum probet homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quam ſententiam dum pertractarunt tam ſæpe tam copioſe SS. Patres, occaſionem oportuniſſimam habuerunt illam praxin, ſi eadem, ac hodie ſaltem apud laicos obtinet, inculcandi. Sed diſciplina illa canonicæ pœnitentiæ quomodo hoc tuliſſet? Scimus quam funeſtum acciderit in orientali eccleſia recentius impoſitum ſacerdotali ordini præceptum, non amplius ſacris operam dandi, ſi alicujus criminis rei ſunt, quod eos a ſacris ordinibus exercendis prohibeat, ut hinc penitus omnis confeſſionis uſus obſoleverit ante ſacrum miniſterium, ARCUDIO aliiſque teſtibus.

In quo antiquæ ab hodierna conſiſtit diſciplinæ diverſitas ampliſſi-

XII. Non poſſe idcirco Græcos negati ſacramenti pœnitentiæ, poteſtatiſque clavium in eo exercendi argui, non ſolum praxis conſtans ad hodiernum etiam uſque diem oſtendit, verum etiam teſti-

ma clavium poteſtate.

teſtimonia innumera Patrum Græcorum demonſtrant magna conſenſione cum eccleſia occidentali. Exemplum in contrarium NECTARII, quod hic affertur, contrarium potius probat. Quomodo in diſciplina pœnitentiæ circa ſecretam, aut publicam confeſſionem mutationem facere potuiſſet, niſi eam prius inſtitutam reperiſſet. Totum autem, quod hic commutavit, confeſſionis diſciplinam ſpectavit ante Euchariſtiæ ſumtionem. Quorſum etiam pertinent teſtimonia S. CHRYSOSTOMI, quæ hic afferre ſolent, ſoli, DEO eſſe confeſſionem faciendam. Quod ille certe univerſim dixiſſe haud potuit, qui libro præſertim tertio de ſacerdotio, clavium poteſtatem, qua vergit pœnitentiæ ſacramentum, tantopere extollit, & ob id etiam in crimen vocatus fuit, quod ad pœnitentiam, & abſolutionem toties quoties accedere vellent contra veterem diſciplinam, invitaret, & ſuſciperet. Tota ergo in diſciplina conſiſtit diverſitas hodie præſertim in latina eccleſia longe maxima confeſſionis ſecretæ exiſtente frequentia in tanta ſacerdotum copia, quibus jam fere facultas hujus ſacramenti adminiſtrandi relicta, cum olim excepto mortis articulo vix niſi ſolus epiſcopus illud diſpenſaret. Qui ſane im-

Digitized by Google

impar fuiſſet frequentes ſibi ſubditorum audire confeſſiones omnium peccatorum (ut hodie fit) quotiescunque ad Euchariſtiam accedebatur, alicubi etiam quotidie, aut ſingulis feſtivis ſynaxeos diebus. Haud defuit, qui aſſereret ſalva fidei doctrina, ut refert FRANCOLINUS (*a*), dici poſſe, divinum quidem eſſe confeſſionis, ut modo fit, agendæ præceptum, ſed eccleſiam per aliquot ſæcula latuiſſe. Alia ſententia eſt, innotuiſſe quidem ſemper hoc præceptum eccleſiæ a primo ejus exortu, non quidem fidelibus paſſim, ſed paſtoribus plerisque; ab his autem non illico fuiſſe totum & integrum ſignificatum populis, ſed per partes, juſſis primum confiteri atrociora, inde omnia externa, tandem etiam interna. Alii diſtinguendum putant inter præceptum confitendi omnia gravia peccata a præcepto ea confitendi, quotiescunque ſuſcipiendum eſt Euchariſtiæ ſacramentum, primum obligare ſolum in morte aut ejus periculo, ſecundum aut divinum non eſſe, aut ſi divinum ſit, latuiſſe aliquot ſæcula. Jure rejiciuntur hæ omnes ſententiæ. Nihilominus contra Rigoriſtas hic omnia miſcentes & confundentes, quæ ad diſciplinam perti-

(*a*) De Pœnit. diſciplina. L. II. c. 4.

tinent, defenditur hodierna praxis, & diſciplina pœnitentiæ hujus ſacramenti miniſterio & diſpenſatione eccleſiæ permiſſo: poteſtate nimirum clavium ligandi & ſolvendi, ut quæ, & quomodo ligaverit vel ſolverit eccleſia in terris, ita ſint ſoluta in cœlis. Alias relinquuntur peccata DEO, qui ſolus peccata remittit, quando eccleſia non ligat peccata, aut ea miniſterio ſuo emergentibus caſibus & neceſſitatibus haud ſolvit. Uti omnes theologi hujusmodi caſus admittunt, aut non neceſſariæ confeſſionis ad abſolutionem impertiendam, aut etiam non neceſſarii omnino ſacramenti & miniſterii eccleſiæ ad veniam, & remiſſionem peccatorum obtinendam. Tantum hic de numero & varietate caſuum quæſtio eſt pro emergentibus cauſis, obtinenteque diſciplina, ac miniſterii eccleſiaſtici ſtatu.

Hodie exiſtente majore confeſſionis onere olim ſatisfactionis labore.

XIII. Aliqua ergo ſunt tam in veteri, quam nova diſciplina in quibus conveniunt, in aliis diverſitas, & mutatio interceſſit. Quod PP. Tridentini privatam confeſſionem ſemper fuiſſe commendatam a SS. Patribus ſtatuerunt, hoc teſtimoniis omnium ætatum poteſt comprobari. At publica pœnitentia tum frequentius obtinuit, & fuit a canonibus præſcripta, veluti nunc privata præ-

ſcri-

Digitized by Google

ſcribitur impoſito eam frequentandi præcepto, atque peccata omnia mortalia ſubjiciendi lege ac neceſſitate. Quæ jam ſine difficultate obitur in tanta ſacerdotum frequentia, ſecus ac olim: ubi nec facultas ſemper fuit, nec lex externæ pœnitentiæ ac confeſſionis, unde ad internam frequens adhortatio. De externa autem, quantum ad diſciplinam canonicam ſpectat, tunc ſevere exercitam, frequens & accurata habetur tractatio, de ſatisfactione nimirum, pœnis ac pœnitentiis, rarior de confeſſione. Secus ac hodie, quando in maxima frequentatione confeſſionis, ſacrique tribunalis, de confeſſione omnia operoſe diſcutiuntur, & copioſiſſimis, infinitisque commentariis ac libris doctrinæ moralis & caſuum pertractantur. In quibus libris de ſatisfactione parcius,&ea tantum, quæ ad arcanum pœnitentiæ forum ſeparatum ab externo pertinent, tractuntur. Quæ ad externum pertinent,in jure canonico tractantur, conficiuntque illius potiſſimam partem. Quæ, quamdiu conjunctum fuit utrumque forum, in libris pœnitentialibus maxime agebantur. Ii libri ſine nomine, & numero circumlati multo gravius damnum intulerunt, quam hodie laxi caſiſtæ, quos tantopere exoſos habent Rigoriſtæ. Et utinam

hoct antum facerent, atque ut olim concilia, paſtores & Patres juſto remiſſiores, & laxos libros pœnitentiales, ita iſti morales & caſuiſticos vituperarent, conſentientes haberent frugi omnes homines theologos, & vigilantes paſtores. At ut diſciplinam ipſam pœnitentiæ omnino carpant, nec eorum eſt muneris, nec prudentis conſilii, nec operis cum bono ſucceſſu ſperandi, imo nec omnino perficiendi, ut, ea confeſſionis diſciplina vigente qualis nunc eſt, obtineat ſimilis hodie, ut olim canonicæ pœnitentiæ rigor. Reſtringebatur olim internum ab externo foro. *His* inter ſe diremtis, immane foret, onera externi fori interno conjungere, ſervatis foro externo, quales nunc illius ſunt pœnæ & judicia diverſa quidem ab antiquis, at plerumque haud minus gravia. Non hic diſquiro, an minus ſint ſalutares medicinæ pœnitentiæ, quam vindicta acrior pœnæ. Altioris ea res eſt indaginis, ſublimiorisque ſubſellii.

Æqua peccatorum cenſura, pœnitentiæ licet immutata diſciplina.

XIV. Tantum Rigoriſtas impugno, qui cum nequeant immutare fori externi pœnas, volunt eas duplicare, imo multiplicare ſine diſcretione. Nimirum rigorem omnem fori externi antiqui, ſtante novo juris vigore, ad internum ho-

Digitized by Google

hodie tam frequens & amplum, quod nihil vel latentiſſimæ noxæ excludit, & ad omnia ſeſe peccata ſine diſcrimine extendit, applicare contendunt. Nec attendunt a quo tempore ambo ab invicem ſunt ſeparati fori, ſuas cuique ſeparatas eſſe pœnas: nec amplius ſtrictum canonum rigorem in interno pœnitentiæ foro locum habere. Ut probe perſpexerunt præſules eccleſiæ, ac ſummi præprimis Pontifices largi hactenus in profundendis indulgentiarum theſauris, concedendisque relaxationibus ac redemtionibus foro interno jam unice profuturis. Neque enim aliquis ad forum externum ob crimen tractus canonicum juvaretur, ſi diceret, ſeſe indulgentias lucratum, jam ſatisfeciſſe. Primum redemtiones ejusmodi ob bellum præſertim ſacrum profundebantur, quod, cum eſſet opus grave, & facile pœnitentiæ publicæ exæquandum, recte haberi poterat juſta pro utroque foro ſatisfactio. At poſteaquam pro ſtipe aliqua ad templa, opera publica, ac pias cauſas, nunc autem operibus piis, & precibus indulgentiæ conceduntur, aliter ſe res habet: nec ullus pro foro etiam externo eas impendere aut cogitat, aut permittitur, ad quod tamen olim pœnitentiæ canonicæ ſpectabant, ut fru-

ſtra Rigoriſtæ aut ſuum relaxationum hujusmodi, aut praxin, etiam qualis hodie obtinet, tribunalis pœnitentiæ, religioſos præſertim ordines, in crimen vocent, quaſi illi immutatæ diſciplinæ, atque collapſæ pœnitentiæ canonicæ cauſa forent. Quaſi vero illi jus novum pro foro externo ſtatuere, aut indulgentias & remiſſiones concedere potuerint. Quod ſolorum ſupremorum eccleſiæ paſtorum eſt, & ab illis totum emanavit. Religioſis tantum numerum ſacerdotum augentibus, & forum internum occupantibus, ad quod pœnæ canonicæ non ita pertinent, & relaxatio legitima auctoritate præſulum eſt facta, ſeparando externum forum, ſibique reſervando, unacum debita cenſura, & pœnis canonicis: quas proin nec poſſunt, nec debent, qui præſunt tribunali arcano, exercere in foro indebito: tantum illi incumbit propoſita ob oculos, & explicata ſeveritate canonum pro peccatorum qualitate juxta veterem diſciplinam pœnitentibus peccatorum gravitatem declarare, & pœnitentiæ condignæ agendæ auctores eſſe impoſita ſalutari ſatisfactione pro integritate ſacramenti, & remedio animæ: excitato ingenti ſtimulo, ac inflammato ardore faciendi dignos fructus pœniten-

tiæ,

tiæ, ut quidquid boni fecerit, aut mali patienter ſuſtinuerit peccator, ſit illi in remiſſionem peccatorum, per merita vitæ, paſſionis ac mortis redemtoris, communionem Sanctorum, ac theſaurum eccleſiæ.

CAPUT IX.

Æqua morum cenſura contra Probabiliſtas ſtatuitur.

I.

Hoc modo æqua morum cenſura ac pœnitentiæ diſciplina adverſus Rigoriſtas conſtituta, ſupereſt, ut eandem æqualitatis lancem contra Probabiliſtas in altero extremo hærentes appendamus. Agitur hic de directione conſcientiæ, quando certa non eſt, ſed probabilis tantum ejus regula. Rigoriſtæ tutius tunc ſemper ſequendum præſcribunt, unde etiam Tutioriſtæ appellantur. Probabiliſtæ, hinc nomen adepti, inter oppoſitas quamcunque amplecti concedunt, etiam minus probabilem: ut qui talem ſequatur, non peccet, etſi erret. Non negant illi, ubi datur acceſſus ad veritatem, ei adhærendum eſſe. Quod ſolent ſciſcere in fa-

In directione morum, quantum licet, ad rectum & verum eſt collimandum.

miliari illis fieri ſolita objectione, de hæretico, qui probabilem ſaltem ſuam habet ſectam, licet fortaſſis vera ei probabilior videatur religio. Hunc negant poſſe ſuam huic opinioni conformare conſcientiam: quin tamen inde ſequatur, idem fas haud eſſe in omni alia, quæ in commerciis, actionibusque humanis ſeſe offert materia. Diſparitatem dant; dicunt: (*a*) Ubi rationes ſunt utrinque probabiles, utramvis amplecti opinionem permittere DEUM, eoquod veritatem ipſam altius aſſequi in manu noſtra minime ſit, quomodocunque demum perveſtigetur: quod ea hominibus manifeſtata non ſit, ut prudenter agatur, cum ea ſaltem probabilibus argumentis, utcunque conjicitur. Admittit SARASA, quando in rebus, quæ paſſim præ manibus ſunt, agendis ulterior veritatis ratio inveſtigari poſſit, majori, & quæ ultra vires non ſit, diligentia appoſita, eam eſſe adhibendam, antequam ex probabili opinione rem definias. Quod mirum eſt, quomodo ſubſiſtentibus Probabiliſmi principiis aſſeri queat. Et tamen aliter explicari non poteſt, quomodo hæreticus in probab l..ate apparente ſuæ ſectæ conſiſtere

(*a*) Vid. SARASA Ars ſemper gaudendi. T. II. Tr. 5.

re tuto nequeat, ſed obligetur ulterius ad falſitatem illius, & veritatem religionis rectæ aſpirare, quam revera concedatur attingere. *Nam*, inquit SARASA (a), *ubi ad veritatem aſſequendam datur aditus, veritas liberabit vos, non vero opinio probabilis, qua tantum probabili ratione ad veritatem acceditur. Ubi vero veritas ipſa, quantumcunque inveſtigetur, inveniri non poteſt, quod infinitis humanis actionibus evenire jam oſtenſum eſt, etiam opinio probabilis fide bona agentem a peccato liberat & excuſat. Non enim ignavia, aut perverſitate animi, aut ignorantia affectata veritatem neſcit, ſed imbecillitate mentis ulterius ſeſe non extendentis, hæret ubi poteſt: & cum ultra non detur progredi, gaudet de veritate utcunque inventa: nec DEUS ei quidquam ſuccenſet, cum eo progreſſum videat, quo eum intellectus humani exilitas potuit ferre.* Hic jam quæſtio & dubitatio pulſat, an ita ſe habeat cum eo, qui minus probabilem relicta probabiliore ſequitur, ubi certitudo haberi ſaltem moralis morali adhibito labore nequit; tunc enim conſentientem habemus SARASAM cum Probabiliſtarum caterva opinionem probabilem non excuſare. Secus putant in concurſu minus probabilis cum

Q 5 pro-

(a) Loc. cit.

probabiliore, ubi quis illam amplecti poſſit hac relicta, ut nullo modo obſtringatur conſcientia deſerta opinione probabili ex probabiliori actiones ſuas componere. *Nam*, inquit loco laudato propoſitione tertia SARASA, *ſi obſtringitur, jam ſane præceptum eſt: nusquam tamen præceptum extat. Et ſi a DEO aut natura latum dicis, non eſt ſufficienter promulgatum, ac proinde non obligat.* Ac ſi vero graviſſimo non ſimus obſtricti præcepto, inquirere veritatem æternæ legis, atque eidem actiones & opiniones, hoc eſt conſcientiam noſtram conformare. Hoc de fide eſſe non dubitat P. CONCINA (*a*) aſſerere, quod toties, & tam conſtanter nobis ſcripturæ inculcant ſacræ, atque ipſa ſana ratio dictat. Atque idcirco indefeſſum præſcribitur divinæ legis ſtudium, meditatioque, ſecundum quam poſſimus actiones noſtras conformare, quantum eam cognoſcere, & aſſequi valemus, ut nec ad impoſſibilia adſtringamur, & inveſtigabilia, quod volunt Rigoriſtæ, nec, ut Probabiliſtis placet, a ſincera & ſtudioſa voluntatis divinæ indagatione, atque legis æternæ obſervantia, quantum agnoſcere valemus ejus obligationem, eximamur. II.

(*a*) Della Storia del Probabiliſmo & del Rigoriſmo. Diſſ. III. c. 4. §. 2.

II. Hæc autem æqua eſt morum cenſura, nec certum omnino requirere judicium, ac veritatem evidentem, nec tamen etiam acquieſcere minus probabili ſententiæ magis ab honeſtate remotæ, magisque vicinæ vitio; ſed ſerio ac ſincere, quantum licet, ad veritatem accedendum, eique ſtudendum, ut quisque poſſit cum Pſalte dicere: *Viam veritatis elegi.* Conſtituaturque regula operationum moralium, aut ipſa veritas, ſi haberi poteſt, aut ſi nequit, quod magis accedit ad veritatem: media tutiſſima via inter exceſſum inquirendæ veritatis, ac legis æternæ, & illius neglectum, quod prius in Tutioriſmo, alterum in Probabiliſmo deprehenditur. Illi veritatem ipſam ubique petunt; hi veritatis ſtudio omnino poſthabito, ubi ea evidens haberi non poteſt, non hærent quidem in bivio, ſed viam ingredi concedunt a veritate longius, & probabilius aberrantem, eamque docent per Probabiliſmum, quem ceu fundamentum ſubſternunt totius doctrinæ moralis; non ad veritatis ipſius indagationem compoſito & directo ſtudio, ſed in probabilitate ſubſiſtente. Quaſi vero aliorſum reſpectum habeat probabilitas, quam ad veritatem, ut ſi veritas ipſa obtineri non poſſit, in id ſaltem conatus procedat, quod propius

Ut æqua obtineatur morum cenſura, inter rigidiorem & remiſſiorem.

pius

pius a vero. *Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis*, DEUM alloquitur Pſaltes, agnoſcitque ſeverum mandatum, quo jam Probabiliſtæ liberant, & ad ea tantum reſtringunt, in quibus certa poteſt haberi ea, & explorata, quam idem Pſaltes in omnibus agnoſcit: *Omnia mandata tua veritas.* Ut ſi ea in deciſionibus atque diſquitionibus noſtris penitus haberi nequeat, ſaltem quam proxime ad eam connitamur. Quod cum propoſitum ſibi ſemper habuerint veritatis ſtudioſi, ac ſapientiæ amantes, unde etiam philoſophi ſunt dicti, quanto magis in ſtudio veritatis æternæ, legisque divinæ theologus hunc unice præfixum ſcopum habeat neceſſe eſt. *Neque*, teſtatur de philoſophis CICERO (*a*), *noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut eliciant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quam maxime accedat.* Sic conſtabit æqua morum cenſura adverſus rigidiorem, & remiſſiorem. Ut quando quidem ea eſt noſtræ intelligentiæ imbecillitas, præſertim in actionibus quotidianis ex variis circumſtantiis ſuſpenſis, & inſtanter plerumque ponendis, ubi otium & tempus fere haud eſt longis deliberationibus & diſquiſitionibus de rectitudine actionis; nihil

(*a*) Lib. IV. Quæſt. acad.

nihil tamen in nobis deſiderari patiamur in actionibus ad rectam conformandis regulam, ut niſi ita nos geſſerimus, ſi revera a recto aberraſſe tramite nos contigerit, haud ſimus a noxa excuſati. Neque enim ſatis Sincerus noſter exiſtimari poteſt animus, ac ſtudium faciendæ divinæ voluntatis in omnibus, atque implendæ æternæ legis, ſi illius obſervationem negligamus, etiamſi pro illius obligatione probabiles adſint rationes. Quando nihil non agimus, quo nos expediamus, & immunes a legibus reddamus. Hoc permittit Probabiliſmus eo majori culpa, quod de regula ipſa actionum omnium agatur, idque in ſtudio theologico, quando majori otio expendere rerum momenta licet, ſecus ac uſuvenit in actionibus ipſis ponendis, ubi pronior eſt lapſus a veritate, atque non adeo facilis ad eam acceſſus, hinc nec tam requiritur illius ſtudium, ſicuti in ipſis formandis regulis morum, & caſuum conſcientiæ deciſionibus, ubi tempus indagandæ veritatis ſuppetit, & inſumendum eſt. Et tamen concedunt Probabiliſtæ, hic etiam relicto probabiliore minus probabile ſequi, veritateque poſthabita, in quantum ad eam acceſſus patet, probabilitati adhærere, dum etiam minus quam æqualia ſunt rationum

pon-

Digitized by Google

pondera, quæ ipſa dubium alias reddunt, & ſuſpenſum animum ut tunc tutior pars ſit eligenda ſecundum regulam juris utriusque. Quid ubi minora ſunt rationum pondera, agiturque non de quæſtione ſpeculativa, qua nihil ad ſalutem intereſt, quodcunque teneatur; ſed de actione ſecundum legem DEI inſtituenda: ubi non licet ſuſpendere ſententiam, ſed recte eſt informanda conſcientia, & in unam partem ferendum judicium, nec adeoque locum habere poteſt regula conſcientiæ probabilitas, quæ præſcindit a veritate, aut falſitate: cum nihil hic ſit medium inter duo hæc extrema veritatem, & falſitatem, qualem hic ſuam probabilitatem conſtituunt. Ut adeo quando intellectus judicat magis abeſſe a vero opinionem faventem libertati contra legem DEI, eam ſequi in praxi non liceat; ſed veritas in omnibus propoſita menti eſſe debeat, ut ſi ea attingi nequeat, quam proxime ſaltem eidem accedatur. Quæ eſt æqua morum cenſura adverſus rigidiorem, & remiſſiorem: Rigoriſtis veritatem omnino requirentibus, Probabiliſtis in eo, quod etiam magis a vero eſt, acquieſcentibus probabilitate non veritate ſerio intenta, & inquiſita.

III. Utra-

Digitized by Google

III. Utraque in extremo poſita ſententia conſcientiæ notionem, ac judicium æquum evertit. Rigoriſmus certam cum probabili, Probabiliſmus probabilem cum dubia confundit. Cum enim ſit conſcientia judicium de convenientia actionum noſtrarum cum lege; Rigoriſtæ ultra vires, ac tenuitatem noſtram certum ubique flagitant judicium, ut quis ſit a lege liber, Probabiliſtæ judicium omnino circa rectitudinem in probabilitate ſuſpendunt, aut deflectunt non pro ratione, ſed lubitu, voluntati hic imperium in intellectum judicantem tribuendo, ut licet in lance æquæ cenſuræ rationum momenta in unam vergant partem, poſſit tamen voluntas deflectere in alteram partem dictamen conſcientiæ, ubi minus eſt rationum pondus. Hoc autem putant eſſe probabilitatis privilegium, quo quis, etſi opinetur probabilius ſuam ſtare a veritate ſententiam, non idcirco judicare debeat alteram contrariam falſam. *Nam,* inquit SARASA (a), *ſi hoc certo judicat, jam non opinatur, ſed aut ſcit, aut prorſus errat.* Ita quidem eſt, ſi certo judicet falſam contrariam ſententiam: at non hic de certo judicio, ſed de probabili agitur, unde nihil juvat SARASAM opinionis vulgata defini-

Etiamſi ultra opinionem, & veriſimilitudinem pertingere non liceat.

(a) Ars ſemper gaud. T. II. Tr. 5. §. 2.

Digitized by Google

definitio, quod ſit aſſenſus cum formidine de oppoſito. Ecce dicitur *aſſenſus*, utique in unam partem, non ſicuti Probabiliſtæ volunt, hærendo in ipſa probabilitate. Quod dum fit, aſſenſus non præſtatur: dum autem aſſenſus in opinione datur, non amplius ad alteram partem ſtante eo aſſenſu inclinat judicium, quod tamen debent concedere Probabiliſtæ. Nec ad rem aliquid facit formido oppoſiti, quæ in definitione differentiam opinionis facit ab aſſenſu certo, qualis ſcientia dicitur. Nihil enim obſtante iſta formidine, ut opinio opinio dicatur, debet accedere aſſenſus in unam partem, non quidem ut aperte veram, ſed veriſimilem, nimirum talibus innixam rationibus, ob quas prudenter poſſit pro vera haberi. Perinde vero eſt ſive objectiva, ſive ſubjectiva ſit veriſimilitudo, ſeu probabilis opinio, ob rationes nobis ipſis occurrentes, quas vocant intrinſecas, vel ob auctoritatem extrinſecam: ut enim opinio formetur, hoc eſt aſſenſus in unam partem, haud ſecus ac in bilance, rationes adeſſe debent præponderantes, ac magis probabiles. Quales ſane adeſſe perſuadere mihi debeo, ſi ob alterius auctoritatem, probabilitate extrinſeca & objectiva aſſenſum præſto, eum præbendo aliorum

judicio,

Digitized by Google

judicio, quos prudentes, ac peritos rerum arbitros exiſtimo, & eorum auctoritati acquieſco, dum aliquid affirmant, ſuoque comprobant conſenſu, quos ſcio probatæ virtutis, & eximiæ ſcientiæ, ac perſuaſus ſum æquum ferre judicium, licet rationes eorum haud perſpectæ mihi ſint. Qua in re quomodocunque judicem, ſive ipſe rationem iniens, ſive aliorum rationem ſuſcipiens, prudens aut meum judicium, aut de aliorum judicio perſuaſio eſſe debet, ac æqua cenſura ex vero, vel eo, quod ad veritatem propius accedit. Ex quo patet, cur Probabiliſtarum auctoritas hic ſuſpecta ſit, quando de probabilitate extrinſeca, ſeu objectiva res eſt: quia nimirum de eorum prudenti merito dubitatur judicio, qui minus etiam probabile præ magis probabili eligendum exiſtimant, abſolutam cum relativa confundendo probabilitate, de qua hic utique quæſtio eſt: utrum nimirum in concurſu opinionis minus probabilis cum probabiliore illam, hac relicta, poſſim amplecti. Quo caſu minus probabilis non poteſt eſſe prudens, & ſufficiens reſolutionis, & aſſenſus motivum. Qualis nimirum etiam in opinione debet eſſe non obſtante formidine oppoſiti. Ut enim recte ADRIANUS VI. quem tamen

a pro ſe etiam citat Terillus (*a*), dicit: *Nullus opinatur, niſi quod ſibi apparet verum, ſive magis probabile.* Et quemadmodum bilanx in unam non inclinatur partem, niſi majore pondere attracta; ita nec intellectus niſi rationum momentis abductus aſſenſum præbet, ſed immotus manet, ſi æquales adſint rationes: minime autem ubi inæqualia ſunt momenta, in partem leviorem vergit. Inaniter hic recurrunt ad voluntatis imperium, quo intellectus hominis per voluntatem deflecti queat ad illam etiam partem, pro qua eſt minus motivum,
b ut *P. Claudius la* Croix (*b*) comminiſcitur. Spectatur autem hic motivum ex judicio operantis, quo dictamen conſcientiæ formatur inter duas contrarias ſententias relative ſpectatas, quoad minorem ac majorem probabilitatem ſive extrinſecam ſive intrinſecam, ſive objectivam, ſive ſubjectivam: judicium enim idem eſt ſecundum dictamen propriæ conſcientiæ, quod omnino ſequendum eſt. Non quod nulla detur niſi ſubjectiva probabilitas, ſed quod, qui etiam ex probabilitate extrinſeca, & objectiva format judicium, non poſſit prudenter illud facere, niſi perſuadendo ſibi alte-

(*a*) Quodlib. II. q. 22. n. 57.
(*b*) Lib. I. n. 407.

Digitized by Google

alterius opinionem veriſimilem, ac judicium prudens libratis utrinque rationibus, & aſſenſum pro hac magis quam altera elicientibus contradictoria parte. Quod, ut iterum repetam, in cauſa eſt, cur Probabiliſtarum objectiva auctoritas facillet, ſi ſuſpicio ſit, eos juxta principia ſua probabiliſtica judicium tuliſſe pro parte minus etiam ſibi viſa probabili.

IV. Hic fuit unice fons & ſcaturigo tot opinionum laxarum, quarum magna etiam pars eſt proſcripta: ob licentiam principiorum probabiliſticorum, dum quædam probabilis ratio excogitata ſubtiliter eſt ſuſcepta, non attentis aliis ex oppoſito majoribus. Quamvis illud de Probabiliſtis haud ægre mihi perſuadeam: liceatque ex formulis colligere, quibus ſuas ſtatuunt concluſiones, eos potiſſimum, dum reipſa judicium ferunt ſecundum id, quod probabilius illis videtur, id facere: nec vel æqualibus exiſtentibus rationum momentis decernere, utpote tunc in ſtatu dubitantis verſante animo, dum nihil occurrit, quod in aſſenſum deflectat, qui ad opinionem formandam, atque a dubio diſtinguendam neceſſarius omnino eſt, ut ablata judicii ſuſpenſione, atque æquilibrio mens in alterutram partem, non utique cæco

Ad aſſenſum tamen præſtandum majus requiritur rationum in unam partem pondus.

pruritu, ſed pro rationum gravitate inclinetur: ſecus in alteram potius librare partem animum neceſſe eſt, ubi majus eſt pondus, aut manere in ſuſpenſo, ac ambiguo, quando nihil rationis præponderat in unam magis, quam alteram partem. Quæ ſemper genuina eſt exiſtimata dubii notio, donec a Probabiliſtis ob neceſſitatem doctrinæ ſuæ eſt obtorta, & corrupta. Quotquot enim antea dubium quid ſit, explicarunt, non ex defectu, & eliſione mutua rationum contrariarum, ſed ex æqualitate ponderis utrinque ſtatum dubitantis deſumſerunt, ut qui opinionem æque probabilem ſcit vel arbitratur, neceſſe ſit, ut dubius hæreat. *Intellectus noſter*, inquit D. THOMAS (*a*), *reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode. Quandoque enim non magis inclinatur in unam, quam in aliam, vel propter defectum moventium, ut in problematibus, de quibus rationes non habemus: vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Hic ergo ad æquam morum cenſuram nullus adhiberi poterat canon quam communis illa juris regula: *In dubiis tutior pars eligenda.* Inclamant hic

(*a*) Quæſt. XIV. de verit. art. I. in ☉.

Digitized by Google

hic Probabiliſtæ ſuum illud: *Melior eſt conditio poſſidentis*, veluti jus aliquod prætendentes contra legem æternam, putantque ſe obligatione legis, de qua dubium eſt, exſolvi: quod ſuo jam loco confutavimus. Ubi manifeſte produnt, ſtatum quæſtionis probabiliſticæ eſſe ſtatum dubii, ſaltem de obligatione legis, quo in caſu communis eſt poſt D. THOMAM theologorum ſententia ipſo SUARE (*a*) teſte, aut recurrendum ad ſuperiorem, ſi fieri poſſit, vel ſi non poſſit, ſervandam eſſe legem. Nimirum nulla tunc eſt legitima excuſatio aut obligationis, aut ignorantiæ, conſequenter nec peccati, utpote præſuppoſita juxta ſyſtema probabiliſticum notitia repræſentante magis veriſimilem exiſtentiam legis, quacum ſane invincibilis ignorantia haud conſiſtit, utpote reipſa victa, & ſuperata majore rationum pondere. *Ignorantia invincibilis*, ait D. THOMAS (*b*), *dicitur*, *quia ſtudio ſuperari non poteſt. Tunc ergo ſolum excuſat ceu involuntaria. Et propter hoc talis ignorantia cum non ſit voluntaria, eoquod non eſt in noſtra poteſtate eam repellere, non eſt peccatum.* Atqui hic reipſa ſuperata, & repulſa exiſtit talis ignorantia obligantis legis, ad

(*a*) Lib. VI. de legibus c. 8. n. 10.
(*b*) I. 2. q. 76. a. 2.

quod utique non evidentes requirent rationes: quando actum eſſet fere de legibus, in noſtræ intelligentiæ imbecillitate per gratiam unice ſuſtentanda, ut innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, ut loquitur S. AUGUSTINUS: & idcirco S. THOMAS ignorantiam invincibilem involuntariam ſtatuit, eoquod in noſtra non ſit poteſtate eam repellere.

Præſertim in negotio ſalutis æternæ, & lege divina.

V. Igitur opus eſt, quantum licet per vires divina gratia adjutas, mentemque divinitus illuſtratam, & inſtructam ſive interius ſive exterius, ſive per lumen rationis, ſive revelationis, conniti, & allaborare omni ſtudio, ut nobis veritas pateſcat, recta agendi regula ad æquam morum cenſuram innoteſcat. Non hic, ut in aliis rebus, quæ ad nos non pertinent, excuſatur ignorantia, ſi in errorem nos inducat falſam agendi normam proponendo: *Quia*, inquit S. THOMAS (*a*), *peccatum in actu conſiſtit, error manifeſte habet rationem peccati. Non enim eſt absque præſumtione, quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat, & maxime in quibus periculum.* Periculum hoc cum in negotio ſalutis ſummum ſit, quoad omnia cum illo nexa, tum vero ſingulariter quoad actiones noſtras, quibus operari

(*a*) Quæſt. III. de malo, art. 7. in ☉.

rari debemus hanc noſtram ſalutem, ac ſpem unicam, nihil eſt hic niſi conſultiſſime agendum, & cum ſumma ratione ſtatuenda præſertim illa regula, ſecundum quam, veluti generalem gnomen, actiones illæ ſunt inſtituendæ, de quibus cum evidens ratio non habetur, ſaltem probabilis requiritur, & quam fieri poteſt ad veritatem proxime accedens, ut error præcaveatur. Atque in hoc vergit ceu in cardine æqua morum cenſura contra rigidiorem, & remiſſiorem. Ut ſi nos opinione noſtra falſos, in cenſura morum, & actionum noſtrarum aberraſſe contingat, errorem, ſi evitari non potuit ſtudio, & diligentia noſtra, non putemus quidem noxæ tribuendum cum Rigoriſtis; nec tamen etiam cum Probabiliſtis excuſemus, ſi non obſtante probabiliori veritatis agnitione, & obligatione legis eam transgrediamur. Nihil hic juvat reflexa illa, & indirecta lex nuper excogitata ad excuſandas actiones quaſcunque legi contrarias ex errore, & ignorantia noſtra, etiam vincibili, ut a Terillo agnoſcitur, etiam ad bonas actiones taliter factas, & meritorias reddendas. Actio mala ſemper manet mala, quocunque errore & ignorantia noſtra perpetretur; licet, ſi inevitabilis ſit error, & ignorantia in-

Digitized by Google

vincibilis non imputetur. *Unde enim eſt peccatum*, inquit S. AUGUSTINUS (*a*), *niſi contrarium juſtitiæ eſt? ea vero, quæ contra legem DEI ſunt, juſta eſſe non poſſunt. Dictum eſt autem DEO:* Lex tua veritas. *Ac per hoc, quod eſt contra veritatem, juſtum eſſe non poteſt.* Et tamen hoc ad ſuſtinendum ſyſtema probabiliſticum aſſeri debuit, ut actiones illæ excuſentur, quæ committuntur electione ſententiæ minus probabilis abſolventis a lege, in concurſu probabilioris ad legem obligantis. Quo commento lex naturalis & divina mutabilis & contraria ſibi, ſecundum opiniones hominum, ſtatuitur, fitque malum bonum. Nec jam datur recti bonique forma, ac æqua morum cenſura, ſecundum rationis judicium, & dictamen conſcientiæ. Nec in DEO ipſo determinata rectitudinis regula jam ſubſiſteret, ſed ſecundum hominis mutabilem & verſatilem quaquaverſum opinionem variabilis eſſet, & quodammodo defectibilis, defectibili, & infinities deficienti hominum judicio, atque inde in actionibus ſuis aberranti ſuppoſita: dum homo ſibi præſtituit agendi regulam conſcientiam ſuam, ac judicium non ex rationum pondere, ſed licentia libertatis,

(*a*) Lib. cont. Mendac. c. 16.

Digitized by Google

tis, libidineque voluntatis libratum. *Jam ergo DEO ſuo*, utar doctiſſimi P. Comargo (*a*) verbis, *& legibus ejus, a quibus prorſus liberi ſunt, homines valedicere poſſunt. Quid enim jam attendant, niſi ſeipſos? Quid niſi judicia ſua colant?* Abſit, ut hanc æquam conſtituamus morum cenſuram honeſtatis, ac ipſius divinæ voluntatis, tum actionum noſtrarum regulam ſtatuendo opiniones noſtras, ac judicia tam fallacia, & toties falſa, unde ultimum conſcientiæ noſtræ formetur dictamen, ſed in veritatem veluti cynoſuram, divinamque legem ac voluntatem conſtanter ſimus intenti, affixique. Quam ſi certo, & evidenter non licet attingere, quam proxime tamen ei accedamus, & tunc ſi forte opinione deceptos nos eſſe contingat, non quidem de bono opere patrato, ſed ſaltem malo non imputato ſimus ſecuri, ſecundum æquam morum cenſuram adverſus rigidiorem, remiſſioremque.

Ubi, error ut evitetur ſingulare adhibendum ſtudium, ac diligentia.

VI. Non hic proficit contentio Probabiliſtarum: non poſſunt non concedere majus quidem eſſe errandi periculum cum ſententia minus probabili in concurſu probabilioris; at dicunt non eſſe peccandi diſcrimen majus. Peccato enim

(*a*) Controverſ. X. art. 5. §. 2. n. 139.

enim non vacat error, qui debuit, & potuit evitari debito adhibito ſtudio, & diligentia in re tanti momenti, graviſſimo æternæ ſalutis diſpendio, quod imminet: ut adeo pro inquirenda veritate nihil reliquum fieri debeat operæ & curæ, quam aliis in negotiis ſummis impendimus. *Agitur enim de ſumma rei*, ſunt piiſſimi Bellarmini verba nepotem epiſcopum inſtruentis, *cum de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia remordente ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Solummodo hic ſeſe periculo, & tanto diſcrimini exponere grandis eſt culpa: nec juvat ab homine data ſecuritas talis, qualem vix quisquam in negotio alicujus momenti ſuſciperet, aut ei ſe in periculo quocunque gravi committeret: cujusmodi hic eſt tam præſens, ac facile in generali morum regula actionum noſtrarum, tot & tantarum rerum venia data, aut perpetrandarum aut negligendarum, quarum obligatio poteſt eſſe, & etiam probabilius judicatur, quod incumbat cum æternæ damnationis periculo. Quod tametſi in omni concurſu probabilium opinionum ſit periculum, ubi certitudo de obligatione

tione aut immunitate legis non habetur, longius tamen abeſt in electione partis probabilioris cum certa non committendæ culpæ, ac non imputandi peccati fiducia, etiamſi judicio fuerimus falſi: dum ad vincendam ignorantiam erroremque vitandum nihil in nobis deſiderari paſſi fuerimus, idque ſecuti, quod conſideratis omnibus vero propinquius ac ſimilius fuerat viſum: quæ eſt æqua morum cenſura adverſus rigidiorem ac remiſſiorem ſtudio veritatis, quantum eam aſſequi licet. Ut, ſi non certa ſemper ſicuti in credendis, ita etiam in agendis ex infinitis circumſtantiis pendentibus poſſit obtineri, quatenus tamen haberi poteſt eodem ſtudio ac fide veritas eſt conſectanda ad ſalutem neceſſaria, eoque inexcuſabilior eſt error, quo minori difficultate conſtat agnitio ſecundum dictamen rationis & conſcientiæ ſanæ & rectæ, judiciumque prudens ſive proprium ſive alienum, cum quis ſuo deſtituitur, & bona fide alteri acquieſcit ſincero veritatis & pietatis ſtudio. Sicut rudes & ſimplices ſequi poſſunt paſtorum ſuorum conſilia, quæ non dubitant veritati, æquitatique conſentanea juxta æquam morum cenſuram & diligentiam, ſollicitudinemque in aliis gravioribus cauſis impendi

ſoli-

ſolitam atque ſufficientiam uniuscujusque, tam in quærendo aliorum conſilium, quam formando proprium judicium. Ubi nulla generalis poteſt præſcribi regula, ac norma judicandi, niſi ſtudioſa veritatis, implendæque divinæ legis, quantum datur agnoſci, voluntas. Secus enim etiam alieno ſtans judicio ſecurus non eſt, etiam paſtoris aut confeſſarii juxta evangelicam ſententiam: *Cæcus ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*a*). Egregie hanc materiam P. Concina pertractat Diſſertat. V. hiſtoriæ Probabiliſmi & Rigoriſmi: atque inter alia terribilia quædam narrat exempla confeſſariorum cum pœnitentibus ambobus æternum damnatis; oſtenditque, quam ſit difficile confeſſarii officium, qualesque ad illud miniſterium requirantur dotes, quæve ſit æqua rigorem inter & nimiam indulgentiam moderatio, cautioque extremi præcipitii utrinque impendentis: quam periculo non careat ſequi promiſcue dictamen theologi & confeſſarii etiam gravis & docti, niſi doceant arctam evangelii viam ac veritatem, quantum licet aſſequi, in agendis eodem ſtudio ac in credendis, utrinque incumbente æternæ damnationis diſcrimine haud infrequen-

(*a*) Matth. XV.

Digitized by Google

quenti: ſive in moribus, ſive in fide aliorum ſequatur quis errores, utut cum probabilitatis ſpecie defendantur, oggeranturque ſecundum principia probabiliſtica, quibus licet opiniones, opinantesque ſequi, elicere & inquirere, donec quis libertati favens reperiatur juxta Ovidii recte huc a doctiſſimo Graveson uſurpatum

Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.

VII. Quæſo, an quisquam vel in leviſſimo rei familiaris negotio ita incurius ſit, quales iſti in ſummo felicitatis æternæ negotio? Princeps, cum de regni ac reipublicæ ſalute agitur, ſapientiſſimos & conſultiſſimos adhibet; & quod ſaniori parti, atque e re melius fuerit viſum, id ſibi ſequendum unice ducit: & quisque ſibi in rebus ſuis optimum, ſaluberrimumque petit conſilium, quando de rebus perituris hujus vitæ agitur, petitque in dubiis aut certum, aut, ſi haberi nequeat, quod veriſimilius eſt, ut ancipitem deſtinet animi ſententiam, rebusque ſuis, ac aliorum etiam conſulat. Huc cum Suarez jam ſanior Probabiliſtarum pars deflexit, ſententiam, quando de præcepto charitatis aut juſtitiæ aliis impendendæ agi-

In officiis erga Deum, multo magis quam erga proximum.

agitur, probabiliorem minus probabili
a præferendam eſſe, ut SARASA (*a*) teſtatur. Alii alias reſtrictiones faciunt, nec jam per eccleſiam aliter licet. Prius vero acutiores probe perſpexerunt, ſi conſequentia doctrinæ ſit tenenda, & conſtanter principiis inhærendum, aut in omni æque materia, aut in nulla ſuſtineri poſſe Probabiliſmum. Quamobrem ſi jam non in omnibus haberi poteſt, ac teneri, Probabiliſmus in omnibus labaſcit. Et ſi ea, quam ſtatuimus, æqua morum cenſura in compluribus materiis ex ſententia & præſcripto eccleſiæ eſt amplectenda, conſequenter in omnibus teneri debet. Si in charitatis ac juſtitiæ læſione, etiam ac multo magis in crimine læſæ Majeſtatis divinæ. Si charitatis in proximum amor iſtam æquitatem, æquabilitatemque flagitat, quid amor in DEUM ſuper omnia, atque illius gloria ultimus rerum, & actionum omnium finis? *At*, ajunt, *DEUS eſt incapax omnis damni, & ſolum debonorari poteſt per offenſam: omnis autem offenſa per bonam fidem operantis rationabiliter conſtitutam manifeſte vitatur.*
b Quæ ſunt TERILLI (*b*) apud CONCI-

(*a*) Ars ſemper gaudendi. Tom. II. Tr. 5. §. 2.

(*b*) Diſſ. III. c. 11.

Digitized by Google

NAM verba, putantis hanc bonam fidem relate ad DEUM ſufficere, ſed non relate ad proximum. Et apud eundem *P. Felix* POTESTA ita ſciſcit: *Quando agitur de ſola honeſtate actionis, an licitum ſit, vel non, licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem. At minime, ſi exinde ſequatur certa injuria, aut periculum gravis mali ſibi, aut tertio.* Acuti ſunt in excogitandis ſubtilibus rationibus ad defendendas hujusmodi ſententias in electione probabilioris, tutiorisque ſententiæ in concurſu minus probabilis. At non perſpiciunt eas æque pro omni materia facere. Et ſi ad evitandum damnum proximi, ac temporale quid valeant, magis in offenſione ſupremi Numinis, & periculo æternæ ſalutis locum habere: debereque eſſe hanc æquam morum cenſuram, judiciumque juſtum in foro poli, quale eſſe neceſſe eſt in foro fori, graviſſima illic auctoritate INNOCENTII XI. intercedente, atque damnante propoſitonem illam: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Anne pro cauſa DEI in tribunali conſcientiæ ad gloriam divinam, & noſtram ſalutem æquum fuerit laxius, remiſſiusque decernere, ac minus æquam ſtringere cenſuram, quam in cauſis creaturarum

hujus-

Digitized by Google

hujusque vitæ? Quis credat eccleſiam in damnatione hujus propoſitionis non potius ſpectaſſe rectitudinem illius judicii, quod ad ſe pertinet circa ſpiritualia, & æterna, quam temporalia, a ſe aliena, niſi quatenus ad ſacra illa dirigi debent, ut ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Quam ob cauſam voluit ſollicita mater eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione non tantum probabiliorem, verum etiam tutiorem præſcribere viam, utpote in quibus vertitur totius religionis, ac ſpei chriſtianæ vigor & integritas, eſtque irrecuperabile damnum ſalutis ac felicitatis æternæ: ubi utique maxime expedit, ut cura & ſecuritas habeatur in bonis hiſce ad ſalutem animarum æternam, impendaturque longe major, quam vitæ præſentis commodis.

Secundum doctrinam revelatam, & legem gratiæ.

VIII. Solent hic neſcio quod pactum comminiſci nonnulli, quo reipublicæ humanæ judices obſtringantur juxta æquius & probabilius decernere. Quæ, qualiſcunque obligatio foret, ad eam tamen haud accederet, qua nos DEO infinitis obligamur titulis tum naturaliter, cum ſupernaturaliter. Quod potiori jure pactum dicitur, ac fœdus illud nobiſcum initum, ut, cum promiſſione felicitatis æternæ divinam impleamus legem,

gem, & voluntatem in omnibus, quæ tam per lumen rationis, quam revelationis ſunt patefacta, atque theologiam chriſtianam conſtituunt, qua non tantum credenda, ſed etiam agenda omnia nobis per verbum divinum, ac ſcripturam ſacram comprehenduntur. Eſtque hoc diſcrimen philoſophiam inter, & theologiam moralem, quod ibi ratio, hic revelatio locum habeat. Singulari divina benignitate nos ad ſublimen ſupra naturam evehente ſtatum, atque ſupernaturalibus etiam ad eum conſequendum finem inſtruente mediis, & principiis, maxime poſt lapſum corruptam naturam noſtram: ubi ratio, & natura omnino deficiunt, & nec mali originem perſpectam habet: & licet in ſe ſentiat, modum tamen ignorat inde eluctandi, & ad propoſitam felicitatis æternæ pertingendi metam, per vitæ ſanctitatem, atque ad legem, voluntatemque divinam mores, & actiones omnes conformandi ſtudium, quod theologiæ moralis eſt negotium; homo autem ſuapte impotens eſt, & conſilii inops, niſi divinitus edoctus, & per gratiam adjutus, viresque conſecutus ſpirituales ad incrementum vitæ ſpiritualis curꝛat, atque vitam inſtituat ſecundum præſcriptum doctrinæ revelatæ, duca-

tumque evangelii, ac verbi divini. Quod moralis chriſtiana tanquam principium & fundamentum agnoſcit, cui doctrina, cenſuraque morum ſuperſtructa ſtat, ſacra ſcriptura nobis ſuppeditante ingentes divinæ ſapientiæ, atque ſolidioris doctrinæ theſauros tam præceptis quam exemplis omnis generis: tam in veteri teſtamento libris præſertim ſapientialibus, quam etiam ac maxime quidem novi teſtamenti, evangelii doctrina omni huc collimante, ac uberrime nos inſtruente de actionibus vitaque rite informanda. Ut chriſtiano nomine indigni ſint, qui his ſacerrimis relictis fontibus, lutoſas corruptæ rationis fodiunt ciſternas DEO relicto vena aquarum viventium. Non quod abjicienda ſit ratio, ſed corrigenda dirigendaque ſecundum revelationem, nec nimium ei præſertim in theologia chriſtiana tribuendum. Quæ tamen ſuum etiam confert ad cognitionem noſtri licet denſis tenebris obvolutum lumen, quoad facultates noſtras, non obſtantibus earum imperfectionibus & morbis, ſc. ſuppeditat principia legis juſtitiæque naturalis non penitus extincta, ſed obſcurata, hinc per lumen revelationis novo veluti donata die, atque colluſtrata luce, diſpulſis tenebris, quibus ſeſe ratio

tio ipſa extricare haud poteſt, adeoque ſibi relicta non poteſt non in devia aberrare. Quod exemplo ſuo omnium gentilium philoſophorum ſyſtemata doctrinæ moralis docuerunt, quorum nullum non graviſſimis laborat erroribus, & ſi cum theologia morali conjungatur, maxima ſecum trahit incommoda. Quin etiam, qui poſt clariſſimam revelationis ac evangelii lucem adhuc rationis tenebricoſas latebras adamarunt, & in regulis vitæ, ac morum illi adhæſerunt, exemplo ſunt, quam nihil proficiat, quam a recto tramite abeat homo, ſi ſibi relinquatur, quoad omnes facultates ſuas corruptus; qui nec ſatis lumine gaudet, ad rectas conſtituendi vivendi regulas, æquamque morum cenſuram, nec viribus ad recte agendum eſt inſtructus. Inde ille Naturaliſmus & Pelagianiſmus moralis infeſtat, nunquam magis quam noſtris temporibus, quibus maxime proin receſſum eſt a vero fonte, ac unico antiquis uſitato verbo divino, ac ſcriptura ſacra non philoſophis tantum, & doctoribus juris naturalis, iisque Proteſtantibus hic impingentibus. Quod tamen alii, quam ſit pernicioſum perſpicientes, ipſam etiam philoſophiam moralem ex verbo divino emendandam & perficiendam inſti-

tuerunt: optimo ſane conſilio, dummodo confuſio evitetur, certique limites ſerventur, nec per zizania corruptæ rationis triticum verbi divini ſuffocetur ut incrementum capere non poſſit: quod acerrime conqueritur etiam de theologia morali probabiliſtica P. ELIZALDUS (a). *Nuper percurri ſummam moralem multorum voluminum*, inquit, *quæſivi Chriſtum, & non erat: quæſivi ſummam prophetarum, & legis ſcilicet charitatem & dilectionem DEI & proximi, & non erat: quæſivi evangelium, & non erat: quæſivi humilitatem, ſine qua ſalvatur nemo, & non erat: Et ſi Paulum, aliumque apoſtolum, Sanctumque percurras, contraria omnia invenies, & referta cuncta Chriſto, charitate, humilitate, & ſanctitate. Ergo hæ doctrinæ nullum ſucceſſionis, nullum conſanguinitatis, affinitatiſque gradum inter ſeſe habere videntur.*

Juxta ductum traditionis & SS. Patrum.

IX. Oſtendit P. ELIZALDA, quam non ſolum a ſacræ ſcripturæ, verum etiam ſanctorum Patrum veſtigiis recedatur. Hi licet ex inſtituto, & ſyſtematice hanc theologiæ partem, uti nunc ſolet fieri, non pertractarint, ſed pro loco & occaſione, uti etiam aliis in cauſis, & materiis religionis; paſſim tamen ex

(a) III. Part. L. 8. q. 7. §. 2.

ex limpidiſſimis ſcripturæ fontibus ſacerrimas tradunt morum regulas, atque ſanctiſſimam præſcribunt vivendi rationem. Non, ut noſtris temporibus fit, dividunt officia, ſed formam eam nobis vitæ conſtituunt ſecundum novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis (*a*). *Nam*, ut quidam inquit JUSTINUS Ep. ad SERENUM, *etiamſi ſecundum naturam vivas, nondum tamen id credentis eſt*. Hoc conſtanter SS. Patres omnes in doctrina morali chriſtiana retinuerunt, ut hominem ultra naturam per gratiam elevatum inſtruerent, ad vitam, moresque informandos ſecundum præſcriptum evangelicum, & ſublimitatem virtutum chriſtianarum: quod in cauſa eſt, cur præſentibus moribus exiſtimentur ſeveras, rigidasq; nimium præſcribere regulas. Negari haud poteſt eos pro ſcribendi genere ipſis uſitato, atque pro zelo perfectionis chriſtianæ, nonnunquam etiam pro amore ſtatus cujusdam, ſingularisque virtutis, aliter multa præſcribere, quam eorum hodie fert conſuetudo, qui ex neceſſitate tantum metiuntur chriſtiana officia, non ex virtute, & gratia. Quædam etiam nonnunquam ſingularia habent, ac veluti

S 3 para-

(*a*) Eph. IV. 24.

paradoxa chriſtiana, non illi tantum, qui de nimio rigore aliunde ſunt ſuſpecti veluti TERTULLIANUS, verum etiam alii plerique SS. Patres eo minus contemnenda, quod tota religio chriſtiana, ac vita ſit paradoxon aliquod inſigne carni, & ſanguini non ſolum, ſed etiam rationi humanæ impervium, longiſſimeque ſuperans. Quod ea chriſtianis illis, qui nomen tantum tuentur, vita autem, & moribus longe abſunt, ac degenerant a vero Chriſtianiſmo, ita videantur, mirum quidem non eſt; at quod doctores etiam chriſtiani exiſtant, quibus hæc ſint paradoxa antiquæ theologiæ moralis placita, ambitu ſuo perfectionem omnem, & ſanctitatem evangelicam, ac ſublimiſſimarum virtutum exercitationem complectentia, id maxime paradoxum videatur. Quando exiſtimant antiquas regulas jam non eſſe ex conſuetudine vitæ, ac moribus præſentibus. Inter hos recentiores Proteſtantes quidam SS. Patrum moralem theologiam ut alia etiam faſtidiunt, minusque putant eſſe e ſapore hodierno. Ex inſtituto nuper *La* PLACETTE in tractatu gallico de conſcientia, & *Joan.* BARBEYRACIUS ſingulari libro *de Ludo*, & deinde in præfatione, quam verſioni Gallicæ operis Puffendorffiani de jure naturæ & gentium præmiſit, plura

in

Digitized by Google

in SS. Patribus notavit hujus generis, ſed egregie vindicavit SS. Patrum doctrinam moralem Rev.mus *Remigius* CEILLIER (*a*) in apologia doctrinæ moralis Patrum eccleſiæ contra injuſtas accuſationes D. *Joan.* BARBEYRACII. P. CONCINA hos ſequi putat illos recentiores theologos, qui indigne ferunt in tractatibus moralibus textus SS. Patrum accumulari, quod ipſe fecerat in celebri de jejunio materia, oſtenderatque, quam copioſa ſeges ex ſparſis SS. Patrum operibus colligi poſſit a ſtudioſis, in aliis etiam controverſiis moralibus. Cum enim has materias ſparſim tractarint, nec, qualis hodie obtinet, methodo uſi fuerint, operæ pretium eſt, ad locos communes redigere, & præſenti methodo accomodare eorum ſententias. Quamvis etiam integra eorum opera ad hunc cenſum pertineant, ac pleraque quidem CLEMENTIS *Alexandrini* pædagogus præcipue. Præter eos, qui ſermones plurimos in argumentis moralibus ex antiquis habuerunt S. EPHREM, *Jo.* CHRYSOSTOMUS, & alii, S. BASILIUS ethicam chriſtianam ſublimiſſimam paſſim pertractat, maxime autem ad vitam monaſticam comparatam, uti etiam S. HIERONYMUS. S. AMBROSIUS præter celebres de officiis

 plures

(*a*) Apologie de la morale des Peres &c.

plures edidit libros quibus exempla ſacra ex ſcripturis ad mores hominum formandos vertit. Nulli cedit S. AUGUSTINUS, cujus operum tomus integer VI. moralia continet, & paſſim moralem illam divinam explicat amoris divini ſecundum evangelicam normam.

Magis quam recentiorem theologiam illam.

X. At nihil opus eſt ſingillatim opera SS. Patrum indigitare, ubique tractant, ac miſcent, quæ morum ſanctitatem ſpectant ſumma in illis utilitate legenda, & in medium producenda ad revocandam æquam morum cenſuram præſertim adverſus remiſſiorem illam, quæ eo tempore invaluit, quo neglectum illud ſtudium fuit, magnaque copia ingentium voluminum obtruſa probabilium opinionum recentium, ſolummodo auctorum ex ſuo ingenio decidentium auctoritate fultarum poſthabitis antiquis SS. Patribus. Doctiſſimi P. ELIZALDÆ (a) poſt Cardinalem PALLAVICINUM eſt conſilium in hac re, cum his libris id faciendum eſſe, quod per ipſos, eorumque auctores ſanctis Patribus, doctoribusque eccleſiæ contigit: quod item factum eſt cum prophetis, cum evangelio, cum apoſtolis: & ſicut hi omnes pœne derelicti ſunt, tantiſper illi derelin-

(a) III. Part. L. 8. §. 8.

Digitized by Google

linquantur, & in uſum praximque doctrina ſacra, Sanctorumque reſtituatur, qua ratione eis vicem juſtiſſime rependemus. Illi hic ſunt intelligendi ſolum, qui æquam non ſuſtinent morum cenſuram. Sunt non pauci ſatis ex eorum doctrina cogniti, tum vero omnes illi ſuſpecti, qui putant in concurſu ſententiæ probabilioris minus probabilem amplecti ſententiam, ſi ſuis in deciſionibus uti hac licentia convincantur, & non potius in praxi ſecundum æquam cenſuram, ac rationem judicaſſe credantur. Alioquin inſipiat, qui ſecundum eam praxin pœnitentiæ, diſciplinæ, & præceptorum eccleſiaſticorum, quæ obtinet, putet modernos doctores legi non deberi, nec mereri, ut eorum ſententiæ, noſtris temporibus accommodatæ, etiam præferantur antiquis quandoque. Semper providentia divina eccleſiæ ſuos paſtores & doctores ſecundum tempora & ætates mittit, qui digne paſcant & doceant gregem dominicum divini verbi pabulo; quod aut ex ſcriptura, aut traditione depromunt. At quis non videt, hic uſum eſſe debere, & ſtudium ſcripturæ, & doctorum antiquorum, per quos ceu canalem ad nos limpidiſſima verbi divini, legisque evangelicæ manarunt fluenta? Qui hæc

negligunt, ipſi etiam ut negligantur, merentur: qui vero majores ſuſcipiunt & ſequuntur, ipſi, quos ſequamur, dignos ſe probant tritis, inhærentes veſtigiis, antiquisque regulis chriſtianæ & evangelicæ doctrinæ, non novam remiſſiorem morum invehentes cenſuram, quale Probabiliſmi commentum ultima demum ætate excogitatum, atque vel hinc chriſtiana venerabili canitie indignum, & ab ipſo ſuo ortu iterum paulatim concidens, ut quotidie magis cernere licet, ab omnium hominum genere, ac doctorum ordine infeſtatum, & fere derelictum, ab illis etiam, qui prius aut propria opinione, aut ordinis ratione ei adhæſerunt, ex malis fructibus exoſum: præſertim poſtquam ab illis tanquam nocivis ab eccleſia ſunt abſterriti cauti, ac probi doctores, qui ad illud ſyſtema ſerio magis examinandum ſunt inducti, atque deprehenderunt, quam ſit ad æquam morum cenſuram formandam ineptum, quam regulis antiquis, principiisque evangelicis adverſum, quam Chriſtianiſmo omni funeſtum.

Qua invicem ſunt ſeparatæ partes omnes ve-

XI. Quam autem non ſemel prodidimus cauſam corruptæ theologiæ in aliis partibus, eadem hic eſt, ſejunctio nimirum ipſarum partium ſeorſim tracta-

ſtatarum, quas olim omnes (præſertim antequam ſcholarum publicarum exercitationes & ſtudia in diverſas facultates, etiam theologiam diſtraxerunt) eodem modo curæ habuerunt doctores, de ſingulis, prout occaſio tulit, eodem argumenti filo pertractantes, quæ modo diſcerptæ ſunt, ut moraliſta minime ad ſe pertinere exiſtimet, quæ ad aſceticen chriſtianam ſpectant, ad animum a pravarum exempli cauſa cupiditatum affectibus purgandum, vitioſitatem ex intimis cordis receſſibus pellendam, perdomadosque, ac ſubigendos affectus. Quod niſi jugiter præſtetur, non proficit chriſtianæ perfectionis ſtudium. Quamvis hic ſint variæ aſceſes & media, quæ ita conſueverunt SS. Patres proponere, ut plerumque perfectiores inierint ac commendarint vias vitæ abſtractæ a curis ſæculi, in qua conſtituti homines rerum mundanarum cura ſoluti in virtutum ſtudio proficere, liberius DEO vacare, & ita ad perfectionem chriſtianam contendere queant. Hinc tantopere commendata ſtrenua cum hoſtibus noſtræ perfectionis pugna, divinæ gratiæ virtus, & amor DEI ſuper omnia, quo vincantur inſultus omnes adverſarum partium. Quæ jam omnia ad myſticam & aſceticam referunt

rum chriſtianum abſolventes.

runt

runt theologiam a morali diremtam; quamvis neceſſario utrinque ſint conſtrictæ vinculo, quatenus christianus divinæ lucis fulgore & calore vegetatus, in ſanctitate proficiat ſemper, propiusque conjungatur cum DEO. Quæ ſane ſi unquam certe hodie myſtica recte dicitur theologia, prout eam diſtinxi in meo ſyſtemate principiorum theologiæ univerſæ, præmiſique theologiæ morali principia theologiæ myſticæ, hominibus carnis, ſenſuumque ductum ſequentibus plerumque abſcondita, & parum ſpectata ea in theologiæ parte, quæ vitam & mores chriſtianos inſtituit, niſi apud eos, quos peculiaris ſtatus ad hoc obligat. Quaſi exterior Chriſtianiſmus quosdam tantum tangat, aut is etiam ſine interiore poſſit conſtare, & non hæc potior ſit Chriſtianiſmi pars eo præſertim humanæ corruptionis ſtatu, quo niſi interius renovati & inſtructi adjutique ad vitam, moresque rite ſecundum voluntatem, legemque DEI conformandos in vacuum currimus, & Pelagianam quandam doctrinam inſtruimus moralem. Imo frena laxando licentiæ, & legem evangelii remittendo, ab arcta via aberrando in latam vitiorum præcipitamus. Quod veluti ex condicto, & inſtituto fit, quando doctrina

ctrina moralis penitus fere ſeparata eſt ab aſcetica & myſtica, quæ vix in ſacris ſermonibus, libriſque ſpiritualibus retinetur: paucis perſuaſis ad ſe etiam pertinere doctrinam ejuscemodi conſilii potius, quam obligationis chriſtianæ, ut unus alterius cauſam ſeſe occupaſſe, atque alienæ meſſi falcem immiſiſſe exiſtimet, ſi invicem hæc pertractentur, aut proponatur moralis doctrina e ſuggeſtu, aut e pulpito aſceſis, & exercitatio ea, ſine qua chriſtiana virtus haud ſubſiſtit, & niſi mutuo ſeſe ſuſtentent, labaſcit ex omni parte Chriſtianiſmi fundamentum, ſuperſtructo moralis doctrinæ ædificio, quod circumferri & agitari queat ab omni vento in omnem partem ſecundum probabiliſtica principia verſatilia, nullo firmo librata & appenſa judicii pondere, ad æquam morum cenſuram non quidem penitus fixam omnino, ut Rigoriſtæ volunt, ſtabilem tamen contra probabiliſticam opinandi, ſeſeque quoquoverſum vertendi licentiam.

XII. Putant ſe allevare grave legis onus hoc modo, at plane contra accidit. Evangelii præcepta, ut levia reddantur frequentia obſervantiæ facit actuum quos præſcribit, quibus veluti habitus comparatur & facilitas, proclivitas-

Ad perfecte implendam legem evangelii gratia, & jugi exer-

citatione ſuavem.

vitasque per fidei, ſpei & charitatis potiſſimum actus, mortificationem carnis & ſenſuum, concupiſcentiæ perdomationem, ac orandi aſſuetudinem, procul illis rebus omnibus, quæ allectant animum, ut peccato ſuccumbat. Quarum rerum dum fit licentia, obligatioque remittitur, prona mens ruit in malum ac præcipitatur: illis nimirum præſidiis deſtituitur, quibus ad ſpiritualem pugnam opus eſt, qua exercitatione haud aſſueto, ſine qua virtutes evangelicæ non conſtant, difficillimi redduntur ſinguli actus non frequentati. Quod in naturalibus habitibus deprehenditur: hic autem multo gravius eſt tot infeſtantibus hoſtibus, tanta proclivitate in quæque contraria, tali difficultate naturæ, niſi divinæ gratiæ vires divinitus ſuppetant jugibus precibus implorandæ: inertia illa, ineptiaque animæ ſublata, qua obex ponitur, reſiſtiturque divinæ gratiæ contrariis actibus & ſtudiis, illis nimirum, quæ adverſantur divinis præceptis, corruptæ autem, & in malum vergentis naturæ noſtræ deſideria fovent, eaque promovent, quæ omni conatu & opera forent reſtringenda & ſuffocanda, exercitiis evangelicarum virtutum, ac jugi mortificatione. Quæ ipſa ſunt, quibus jugum Domini ſuave red-

redditur, & onus ejus leve, additis per divinam gratiam viribus, natura per exercitationem roborata, & habitu firmata. Ut exemplo ſuo docent Sancti & pii omnes in divina lege exercitati, quam eo facilius, ſuaviusque obeunt, quo ſtudioſius, ferventiusque currunt, quove diutius & conſtantius eam triverunt ſalutis viam. Unde patet, quam injuria legum chriſtianarum obligatio odioſa dicatur, tanquam contraria libertati, quæ potius eſt peccati ſervitus: ut idcirco a frequentia legum ejuscemodi, ubi non certa, ſed probabilis tantum etiamſi probabilior, habetur obligatio, abſolvendos putent, juxta illud: *Odia ſunt reſtringenda.* Odioſa autem putant, quæ legum obſervantiam per divinam gratiam & amorem facilem reddunt & expeditam; quam difficilia etiam ſint naturæ depravatæ præcepta chriſtianæ vitæ. Cum nihil difficile ſit amanti, ſperanti, & credenti, atque aliarum virtutum evangelicarum ſtudio detento, divinumque imploranti auxilium, quo per gratiæ adjutorium leve reddatur grave fractis humanis viribus opus ac onus. Ut nihil nocivius ſit, quam horum actuum frequentiam imminuere, quibus comparare habitum & facilitatem operandi

neceſſe

neceſſe eſt. Sæpius hoc S. AUGUSTINUS (*a*) inculcat, eorumque ſtultitiam exemplo avium quodam loco pulchre exagitat, qui ſeſe exemtos illis obligationibus virtutum, præſertim autem charitatis vellent, ut eſſent liberi, ac ſine onere, veluti ſi avis onere alarum vellet ſublevari. *Portant illas*, inquit, *& portantur. Tu ſi miſericordiam velis præbere avi, præſertim æſtate, & dicas: Miſeram iſtam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui ſubvenire voluiſti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc eſt ſarcina, ſic impletur lex Chriſti.*

CAPUT X.

Concurſus naturæ & gratiæ ad emendandos, atque ad rectam regulam æquamque normam inſtituendos mores, ac actiones ſingulas.

I.

Naturæ noſtræ corruptio, ac alia impedimenta &

Rebellis ac indomita natura noſtra, hic piis conatibus, & obſervantiæ divinæ legis obſiſtit contrariis ſtudiis & affectibus pro diverſis motibus & operationibus

(*a*) Serm. 24. de Verbis apoſt.

rationibus abrepta. Corporis & animæ commercio, ac intima conjunctione, indeque reſultantibus, quas commemoravimus adverſis propenſionibus, operationibusque, malum omne ac peccatum originem ſuam trahit. Suapte quidem natura facultates omnes hominis bonæ ſunt, neque earum depravatio conſequenter naturæ inſita dici poteſt, tametſi inde naturalis quodammodo ſit, quatenus exurgit ex diverſarum naturalium facultatum inordinatis appetitibus, & contrariis motibus, cum ſuapte ad unum conſpirare deberent, & inclinare, non obſtantibus diverſis, ex quibus homo conſtat, partibus corpore & ſpiritu: quas nunquam combinaſſet in unum ſuppoſitum DEUS, niſi dirigere recte, ac ordinare eas noviſſet: ut adeo cum inordinata omnia deprehendantur in homine, aliunde hoc eſſe debeat, nimirum ab originali labe, ut nos fides docet experientiam firmans, qua ſentimus inteſtinam pugnam & colliſionem facultatum noſtrarum: inferioribus, quæ deberent in omnibus præſto eſſe, ſuperioribus prædominantibus, nec prævalentibus ſuperioribus præ inertia & corruptione, qua in mala quævis ruunt, & ad bona ſegnes, & ineptæ ſunt facultates omnes inter ſe pugnantes,

hoſtes perfectionis noſtræ.

tes, & a recto deficientes fine. Semper quidem naturaliter in bonum tendit voluntas, id appetens, quod ceu bonum ipſi proponitur: ſed cum inferiores facultates affectum & inclinationem ad ſe trahant & præponderent, intellectus cæcutiat in agnitione veri boni, voluntatis appetitus ſit depravatus, & in malum vergat, quid fieri contingat pronum eſt in hac ſervitute peccati? Gentiles hic hæſerunt, naturæ *τὸ συγγενὲς* ARISTOTELES, materiam Stoici, alii auctorem naturæ accuſarunt duplici conſtituto principio, bono & malo, *illo* boni, iſto mali conditore. Videbant ex inteſtina pugna, corruptioneque oriri malum, ſed non intelligebant eas etiam inficere partes, facultates nimirum ſuperiores animæ, quas a bono principio derivabant, ubi mali ſedes potiſſima, quamvis ob arctiſſimum corpus inter & animam commercium & nexum corpori tribuatur, quod menti eſt proprium a corpore motæ, dum in corpore ſæpiſſime ſe malum exerit, voluntatis inclinatione: quatenus nimirum una eademque voluntas, quæ vel per rationem, vel per ſenſus & imaginationem proponuntur ut bona aut mala, grata aut ingrata appetit, aut averſatur. Quæ eſt concupiſcentia illa prava pro variis re-

rum

rum objectis varium vitii nomen habens, ut quoties in actum prodit, peccato animam commaculet, a bono incommutabili ad commutabilia deflectens, a veris ad apparentia abducens. Huc quidem ipſa facultatum omnium pravitas ſuapte inclinat, quæ cum ſint ad unam omnes vitiatæ, non poteſt non maxima ad malum pronitas eſſe. Accedunt autem exterius allectamenta bonorum commutabilium omnium, quæ nomine *mundi* veniunt: accedit etiam inſtigator dæmon corruptas, & in malum proclives facultates noſtras magis movens & impellens. Et ſic undique in peccatum propellimur atque obducimur ad alia omnia, quam quæ ſunt officia noſtra tam erga DEUM, quam nos ipſos & proximum, tam lege naturæ, quam lege gratiæ præſcripta. Ut perpetuo nobis luctandum ſit cum inteſtinis & exterioribus undique nos ſepientibus & infeſtantibus hoſtibus, nec penitus eluctandi, quamdiu in hac mortali vita ſumus, & corruptam circumferimus naturam, detur facultas, dum alii fortius, alii remiſſius pugnant, alii ſuccumbunt, alii vincunt, magis aut minus ſunt exercitati, ac invigilant, allaborantque.

Digitized by Google

Unde agon chriſtianus ſubactis per gratiam hoſtibus & impedimentis ſublatis.

II. Hic ergo eſt agon ille chriſtianus, ac militia hominis ſuper terram, in qua inceſſanter, conſtanterque nobis ſtandum eſt, & pugnandum cum hoſtibus noſtris, qui nos a bono in malum trahunt. Pugnam hanc S. AUGUSTINUS eſſe chriſtianis cum dæmone aſſerit in egregio de agone chriſtiano opere, victoremque evadere, qui affectus ſuos pravos ſuperarit; quod fit, ſi nos voluntati divinæ ſubmittamus, ejus auxilio freti. S. Pater contra Pelagianos acriter pugnans viſus eſt nonnullis præſertim aſceticæ vitæ addictis, hic omnem humanam operam negaſſe, totus in irreſiſtibili gratiæ virtute commendanda: quo non ſolum pœnarum & præmiorum omne ceſſare videbatur meritum, verum etiam adhortationibus & dehortationibus, ſtudio & labori in pugna ſpirituali vita recte inſtituenda, vitiis vitandis & virtutibus conſectandis locus amplius haud eſſe. Sed quod ſuum erat, contra Pelagianos egit tunc AUGUSTINUS, quando autem in morali argumento occupatur, ita vim gratiæ commendat, ut tamen ad ſtrenue obeunda munia noſtra non minus diſerte hortetur. Quæ duo ſi ſejungantur, in alterutram partem impingi neceſſe eſt. Pronius autem in tractatione do-

ctrinæ

ctrinæ moralis eſt labi in moralem quemdam Pelagianiſmum, quam ſplendide etiam, & vel maxime aſcetice quis pro exuendis vitiis, & conſectandis virtutibus, edomandis affectibus, vincendis hoſtibus peroret, niſi quis explicatam a nobis paulo ante corruptionem naturæ perſpectam habens ad gratiæ efficaciam, & virtutem recurrat in pugna ſpirituali. Cum enim robore, & fortitudine deſtituamur, eam a DEO exſpectare debemus, & hac confiſi, hisque inſtructi armis dimicare. *Confortamini in Domino*, PAULUS (*a*) hortatur Epheſios, *& in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam DEI, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Πανοπλίαν commendat, ut omni armorum genere inſtructi poſſimus inſultibus omnibus reſiſtere. Pugnam tamen noſtram eſſe vult, quatenus arma divinitus oblata accipere, & tractare non ſimus ſegnes, quod noſtrum eſt, non pigritari, detrectare, armatura divina uti. *Propterea accipite armaturam DEI, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* (*b*) Illius totum eſt hoc opus, cujus ſunt arma, a quo eſt ſufficientia, & robur tam attritis viribus noſtris, niſi per divinam gratiam in nobis operan-

(*a*) Eph. V. 10.
(*b*) Ib. v. 13.

tem reſtaurentur, quando vitia ſuperanda, & exercendæ virtutes, actionesque edendæ noſtræ perfectioni aptæ, ut DEUS in nobis & velle, & perficere operetur. Hoc chriſtiani a DEO edocti tribuere norunt divinæ bonitati maximum beneficium, quo a malo declinemus, & in virtute proficiamus, victores corruptæ naturæ, ac hoſtium animæ noſtræ. Gentiles externa quidem diis ſuis attribuebant bona, at præcipuum, virtutem, ſibi ipſis tribuebant. *Atque hoc quidem*, inquit CICERO (*a*), *omnes mortales ſic habent, externas commoditates, vineta, ſegetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem, proſperitatemque vitæ a Diis ſe habere: virtutem autem nemo unquam acceptam DEO retulit. Nimirum recte. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur.* At nos chriſtiani ſana de natura, & gratia inſtructi doctrina unice in Domino gloriamur, & ſcimus, quia laus erit unicuique a DEO, craſſo iſto, & in DEUM injurioſo ſoluti errore. *Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi*, monet nos JACOBUS (*b*), *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.*

III.

(*a*) Lib. II. de natura Deor. (*b*) Jac. I. 17.

III. Iterum hinc eluceſcit, quam theologia ſeu aſcetica ſeu myſtica arctiſſime cum morali ſit conjuncta, ac una res, eundem ad finem iisdem mediis tendens: quatenus nimirum homo paulatim purgatus & reſtitutus e ſtatu miſeræ collapſionis & vitioſitate, in virtute proficiat, ac perfectus aptus efficiatur, ut DEO conjungatur. Nullibi autem melius error pſeudomyſtices cavetur, & pateſcit, quam iſta theologiæ myſticæ cum theologia morali conjunctione, evitata illa pernicioſa ab officiis chriſtianis, actionibusque etiam externis ſecundum præſcriptum legis exigendis, ceſſatione ac quiete. Simul etiam declinatur alterum illud extremum ac error, quem ex ipſa theologia morali oriri pronum eſt, ſi præciſe quoad actiones exteriores, earumque juxta leges conformationem extrinſecam, ſpectetur ſejuncta illa ac poſthabita, qua potiſſimum Chriſtianiſmum attinet, interiore renovatione, ſanctificationeque animæ per gratiam. Quæ nimirum facultates hominis attingit & perficit, intellectum interiore colluſtratione, abſterſis corruptæ naturæ tenebris, incenſoque divino lumine, voluntatem pia affectione, ſenſuque ſanctitatis imbuens, contra pravas illius propenſiones ac vi-

Tam per externa exercitia, quam maxime per interiorem renovationem.

Digitized by Google

tia, quibus prona in omne malum fertur, unde omnia pullulant peccata ex radice concupiſcentiæ, ac amoris depravati, quo in bonum apparens fertur loco veri. Hinc vitiorum omnium manat colluvies & actiones perverſæ contra officia DEO, ſibi, & proximo debita. Non autem penitus affectiones evelluntur ex animo (qualem ἀπάθειαν Stoici fruſtra in ſapiente ſuo ſperabant, qualem etiam Myſtici quidam fingebant) ſed in rectum diriguntur, temperanturque. Sic enim affectus, cum ἀνθρωποπαθῶς DEO etiam tribuantur, de ſe mali eſſe haud poſſunt, ab auctore naturæ etiam naturæ inſiti; ſed medium quid ſunt, quo bene aut male utendo, homo bene aut male agat. Ut autem ex malo eorum uſu converſionis, & vitæ chriſtianæ detrimenta maxima oriuntur, ita per gratiam bono noſtro, ac ſanctificationi proficiunt, tam in interno virtutum incremento, quam etiam externis exercitationibus officiorum chriſtianorum, ſecundum rectum finem veluti animandis. Ac virtus quidem cum ſit inclinatio voluntatis ad faciendum ea, quæ lex divina homini convenire docet, eaque cavenda quæ prohibet, habitualem utique animi propenſionem requirit, & affectum veluti conſtan-

tem,

Digitized by Google

tem, ac ſenſum intimum: humilitas e. c. chriſtiana ex miſeriæ & imbecillitatis propriæ agnitione. Obſervantia autem legis chriſtianæ, quibusvis in legibus verſetur, nunquam ſpiritum chriſtianum ſapiet & præſeferet, niſi interiore animi affectione & motione, ut jam diximus, animetur. Imo eſt hæc Chriſtianiſmi ubicunque ſpectetur anima & ſpiritus, quo imbuendæ ſunt quæcunque exteriores etiam functiones. Oratio eſt elevatio mentis ad DEUM, nec requirit neceſſario officium vocis, ſed ſi affectu interiore deſtituitur, veluti inanimis eſt. Sed quod unice hujus loci eſt, atque ad formandos mores, virtuteſque chriſtianas pertinet, quidquid aut boni aut mali in actionibus eſt, ex interiore fere ſenſu mentis ac voluntatis deſumitur, ac amore. *Recta voluntas*, inquit S. AUGUSTINUS (*a*), *eſt bonus amor, & voluntas perverſa malus amor.* Idem ſæpius ac conſtanter aſſerit, virtutes omnes nihil aliud eſſe, quam diverſos amoris divini modos. Nimirum interna voluntatis affectione & intentione omnia dirigi debent ad rectum finem, hoc eſt ultimum; etſi circa media verſentur, ſi ſpectentur in ſeipſis. Finis autem, eo ipſo quod propter ſe

(*a*) Lib. XIV. de Civ. DEI.

Digitized by Google

appetatur, & media propter finem; appetitus iſte ante omnia recte conſtitutus ſit oportet. In quo ſeſe maxime exerit divinæ gratiæ vis, rectum voluntatis ſtudium, & affectum incendens, atque ad finem efficaciter dirigens, a quo ſi deflectat actio, quam ſancta etiam foris appareat, aut nihil conducit ad propoſitum finem ſupernaturalem, aut etiam peccatum eſt.

Facultatibus noſtris omnibus ſecundum variam earum contemporationem & circumſtantias in ordinem redactis, & ad debitum revocatis finem.

IV. Novo iſtud argumento eſt, quam interſit ad germanam chriſtianam doctrinam moralem, ne ea manca, & veluti interiore anima deſtituta tradatur, pertracteturque. Qua in re profecto antiqui recentioribus, utut hi ratione ordinis ac ſyſtematis excellant, palmam præripiunt. Et quo magis ad fontem, primamque chriſtianæ ac evangelicæ doctrinæ ſcaturiginem accedimus, eo major deprehenditur dignitas, æmulantibus primis doctoribus BARNABA, CLEMENTE *Rom.* POLYCARPO & IGNATIO apoſtolos, qui in ſuis epiſtolis omnia conjuncta tradiderunt, quæ ad ſanctitatem chriſtianam quoad fidem & mores tradiderunt methodo didactica, & plerumque parænetica hic commodiſſima, atque adeo a paſtoribus deinceps conſtanter in eccleſia eundem in finem adhibita. Qui in

in aliis etiam tractatibus partim ex inſtituto, partim veluti aliud agendo, ut ſupra jam meminimus, vitæ ſanctioris ſtudium chriſtianum inculcarunt, ac plenum tradiderunt quid ex parte hominis, & DEI, naturæ & gratiæ opus ſit utrumque ſignificando. Eminet inter hos S. AUGUSTINUS, cui certamina cum Pelagianis occaſionem præbuerunt doctrinam de natura & gratia, in morali chriſtiana, ut modo innuimus, omne ferente punctum explicandi, excolendique. Contra Manichæos etiam hoc argumentum tractavit præſertim opere præſtantiſſimo de moribus eccleſiæ catholicæ & Manichæorum. Veluti in oppoſitis extremis iſti hærebant, illi facilitatem operandi bonum ex integra natura, hi neceſſitatem peccandi ex mala natura repetebant. Catholica veritas a S. AUGUSTINO aſſerta media procedens via quid natura, quid gratia ferat, explicabat. Naturæ nomine veniunt facultates omnes cum earum operationibus, actibus & motibus: intellectus, voluntas, appetitus ſenſitivus, ipſeque ſenſuum uſus, & phantaſia. Eæ ex peccato corruptæ, & in malum præcipites præterea habitus varios uſu, ſtudiis ac conſuetudine contrahunt, ex quibus propenſiones novæ

in

in malum, actionesque proveniunt. Accedentibus variis circumſtantiis ex varietate temperamentorum diverſitate ætatis, ſexus, morbis &c. diverſos motus, affectiones ac propenſiones oriri, quæ ex circumſtantiis vitæ, generis ac ſtatus, converſationis, educationis &c. adhuc magis variant, propalam eſt, & quotidiana nos docet experientia. Diverſa autem objectorum repræſentatio juncta cum diverſitate propenſionum indolis, ingenii, induſtriæ, & ſtudiorum corruptarum facultatum, & appetituum omnem in modum flectit & inclinat, majora aut minora gratiæ ponit obſtacula ac impedimenta, ut plus aut minus unus præ altero reſiſtat, aut obicem ponat, quæ eſt vis, ſeu potius inertia noſtra in miſero ſtatu hoc. Quidquid in contrarium philautia dictat, atque ut ſibi placeat, plaudatque, divinæ detrahit gratiæ, quæ ſola prævalet hominem revocare ad orbitam, debitumque finem verum ac ſummum bonum a bonis apparentibus abductum, ad quæ impetu naturæ depravatæ fertur, nec unquam penitus, quamdiu in hac vita ſumus, eluctatur. Unde & apoſtolus PAULUS ſenſit aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, ingemiſcitque: *Quis me liberabit de*

cor-

Digitized by Google

corpore mortis hujus? Ex vinculo enim iſto & conjunctione, debita attemperatione & ſubordinatione per peccatum ſubverſa, perpetua manet iſta ad inferiora bona propenſio. Et quamvis gratiæ non ſegni, ac diuturno uſu multum proficiat homo, atque a luto ſuarum cupiditatum paulatim emergat, perpetua tamen manet lucta, & identidem prava natura ſeſe erigit, & ſuperior fit, niſi omni conatu ſubacta teneatur, & quantum fieri poteſt objecta removeantur, evitenturque, quæ excitare valent pravos affectus, atque ad iis obſequendum propellunt animum. Hinc accidit, ut pro circumſtantiis etiam temporum, locorum, aliarumque rerum hominem circumſtantium, diverſitas ac mutatio morum maxima accidat. Quod modo animadvertere licet in diverſis Aſiæ, Africæ ac Europæ moribus, & cultura naturæ & gratiæ mutatis circumſtantiis, & conditione, qui olim cultiſſimi per exercitationem ingenii induſtriam ac ſtudia, ſanctiſſimique per ſanctitatem religionis populi ac nationes, nunc iterum relapſi in immanem barbariem, & perverſitatem ſummam ad genium redeundo. Unde olim de Afris SALVIANUS (a): *Quis non omnes omnino*

(a) De gubernat. DEI. L. VII.

omnino Afros generaliter ſciat impudicos niſi ad DEUM forte converſos, id eſt, fide ac religione mutatos. Ea nimirum eſt gratiæ virtus, ut homines penitus immutet, quatenus non reſiſtunt ac allaborant aſpirante divina gratia pravas exuere propenſiones, earumque ſemper magis ac magis infringere vim, quandoquidem penitus in hac naturæ corruptione evellere & extirpare non licet, ne identidem redeant, hominique perpetuam relinquant luctam; ſtudium & attentionem excitant, ut, quibus mediis licet, ſubigantur. Huc autem lex evangelii non ſolum per internam gratiam, verum etiam per exteriora præcepta, & conſilia confert. Quæ omnia eum in finem faciunt, ut homo terrenis rebus, cupiditatibusque abſtractus, malis propenſionibus ſubactis proficiat in via ſalutis, ac perfectus ſit in omni opere. Ex modo autem dictis quivis perſpiciet, quantam circumſpectionem, vigilantiam & prudentiam ſingularem quisque hic impendere debeat, ut tum natura ſecundum ſingulares uniuscujusque circumſtantias, & genium rite emendetur, tum etiam æqua morum cenſura inſtituatur in actionibus ſingulis ad gratiam exigendis, & ad debitum finem intendendis.

V.

Digitized by Google

V. Duas hucuſque dictis in vias digitum intendimus, a quibus ſibi caveat, quicunque aut aliis eſt dux, aut ſibi ipſe ad vitam æternam rectam complanare deſiderat ſemitam. *Oculi tui*, monet ſapiens (*a*), *recta videant*, *& palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitam pedibus tuis*, *& omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dexteram*, *neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum a malo.* Ad recta ergo, ſi ſapientem audimus, intenti eſſe debemus, quæ ut teneamus, nulli operæ parcendum eſt, omni ſtudio ad veritatis inquiſitionem collato, quantum per labefactatas naturæ vires eniti valemus. *Etſi enim*, prudens eſt Ciceronis (*b*) conſilium, *omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus*, *eaque eſt & in rebus ipſis obſcuritas*, *& in judiciis noſtris infirmitas*, *ut non ſine cauſa & doctiſſimi*, *& antiquiſſimi invenire ſe poſſe*, *quod cuperent*, *diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt*, *neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus*, *neque noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt*, *niſi ut in utramque partem dicendo*, *& audiendo eliciant*, *& tanquam exprimant aliquid*, *quod aut verum ſit*, *aut ad id quam maxime accedat.* Hoc ethni-

Non ad impoſſibilia humanam obſtringendo imbecillitatem.

a

b

(*a*) Prov. IV. 25. &c.
(*b*) In Lucullo.

ethnici hominis documentum nihil a norma chriſtiana alienum habet: nec illi audiendi ſunt, qui, ubi aperta veritas inveniri nequit, nec ſequi permittunt, quod ad eam quam proxime accedit, id eſt, probabilius eſt. Qui mihi videntur ſcribis illis, & Phariſæis in evangelio per omnia ſimiles, a quorum cavillationibus nec innocentia, ſanctitas, ac veritas ipſa Chriſtus JESUS immunis fuit. Nunc enim ſabbathi non ſatis obſervans eis erat: nunc ipſe, aut ejus diſcipuli aliarum legum transgreſſores accuſati ſunt, de quibus Chriſtus in evangelio ſæpe conqueſtus eſt, nec ullos obſtinatiores habuit adverſarios. Hos deinceps in eccleſia ſecuti Novatiani, Encratitæ, Euſtathiani, & quotquot fere ſchiſmate eccleſiæ unitatem ſciderunt, a carpendis moribus, ac diſciplina inchoarunt. Hos ſequuntur, qui noſtris temporibus tantopere conſulere diſciplinæ, & opus virtutis exigere immaturo zelo geſtiunt. Agnoſcant naturæ compati, cujus corruptionem exagitare, etiam ultra ac deceat, ſolent. Diſcant æſtimare imbecillitatem, non cum ſuo auctore fatalem inferant neceſſitatem impoſſibilia ſervandi præcepta, poſtquam hic error ſemper in philoſophis reprobatus, ſæpiſſime in hæreticis damnatus

eſt.

Digitized by Google

eſt. Itaque, quisquis rectam ſalutis viam incedere cupis, audi ſapientis (*a*) monitum, & *noli eſſe multum juſtus, neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*: hoc eſt, ne continua timorum, anxietatumque colliſione, & concurſu in mentis ſtuporem, aut etiam deſperationem incidas, conſilii inopia, judiciique hæſitans ambiguitate.

Nec tamen etiam ſolvendo quavis levi ratione evangelicæ legis obligationem.

VI. Verum cave, ne oppoſitum teneas errorem inquirendæ veritatis deſidia: neve exiſtimes ſtatim te liberum eſſe debito legis, quando de ejus obligatione nulla certa ſuppetit ratio; ut aliquando fuerunt, ſuntque, qui ſolvunt obligationem legis, dum ſibi, aut aliis vel æqualis, vel majoris etiam ponderis & auctoritatis adeſt momentum. Quæ enim duo maxima in omni philoſophia CICERO agnovit *judicium veri, & finem bonorum*, ea etiam in chriſtiana philoſophia attendenda ſunt. Atqui vero, *Quisquis*, inquit S. AUGUSTINUS (*b*), *minus inſtanter, quam oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit: quisquis autem tantum, quantum poteſt ac debet, dat operam inveniendæ veritati, is, etiamſi eam non inveniat,* bea-

(*a*) Eccli. VII.
(*b*) Lib. I. contra Academ.

beatus eſt; totum enim facit, quod ut faciat, ita natus eſt. Hæc ſola eſt in probabilium judicio juſta ignorantiæ excuſatio, ſi, quantum poſſumus ac debemus, inveniendæ veritati operam demus. Quod ille non præſtat, qui cum videat pro legis obſervatione majora adeſſe aut rationis, aut auctoritatis momenta, nihilominus legem abjicit. An
a non is talis (*a*) *noluit intelligere, ut bene ageret?* An hæc invincibilis ignorantia, quam revera vinceret intellectus arbitrium, niſi voluntas in malum prona ageretur, & ſecum rationis judicium abriperet? Contraria hæc eſt voluntas
b illi, quæ regii Pſaltis (*b*) teſtimonio beatum facit virum, cujus in lege Domini voluntas; & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Hæc lex evangelium Chriſti eſt, in hac voluntas noſtra eſſe debet, ut quidquid ipſa tradidit, pro morum, vitæque regulis ſuſcipiamus. Quas illa charitatis, humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ, mortificationis, contemtus rerum terrenarum, aliarumque plurimarum virtutum formas præſcribit, ab eis ne latum unguem diſcedamus oportet. *Si quis aliter docet*, u-
c tar Pauli (*c*) verbis, & *non acquieſcit*

(*a*) Pſ. 35. (*b*) Pſ. I. 1.
(*c*) 1. Tim. VI. 3. &c.

ſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JESU Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. Poſtquam documenta alia complura dediſſet, non ſublime ſapere, neque ſperare niſi in DEO vivo, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam; tandem *o Timothee*, inquit, *depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Utinam notent iſthæc, & ſecum perpendant, qui tantam moralis chriſtianæ doctrinæ ſtragem intulerunt, eoquod nulla pœne evangelii, virtutum, ac legis chriſtianæ habita ratione, corruptæ naturæ indulgentes vitio, neſcio quam libertatis poſſeſſionem obtruſerunt, ſecundum carnalem hominem, quæ eſt peccati ſervitus, nos cupiditati captivans, & in mala rapiens contra legem DEI. *Scimus enim,* inquit PAULUS,

U 2 *quia*

Digitized by Google

a (*a*) *quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.* Hæc eſt illa lex, de qua eodem loco PAULUS: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Quod illis accidit etiam in doctrina ſacra, qui contra animi ſui ſententiam, contra conſcientiæ dictamen cupiditati litant, a lege ſolutos decernentes, dum probabilius eam obligare mens
b judicat. A quibus fit, quod PAULUS (*b*) ibidem commemorat: *Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.* Quando contra intellectus judicium, cui ſana voluntas obſiſtere non valet, faciunt quod revera nolunt, & hanc perverſitatem libertatem venditant. O inſaniam deplorandam! *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore*
c *mortis hujus* (*c*), ut ſic ſpei, ſolatii, & conſolationis plenam audire poſſint vocem: *Gratia DEI per JESUM Chriſtum*
d *Dominum noſtrum.* (*d*) Hanc per gratiam, liberationem, qua jugum Domini ſuave redditur, & onus ejus leve, ſi attendiſſent remiſſioris ethices chriſtianæ arbitri, nun-

(*a*) Rom. VII. 14.
(*b*) Ib. v. 15.
(*c*) Ib. v. 24.
(*d*) Ib. v. 25.

Digitized by Google

nunquam excutiendi jugum Chriſti conſilium cepiſſent, aut carnis ſervitutem pro libertate jactaſſent: *Lex enim ſpiritus vitæ*, rurſus ait PAULUS (*a*), in *Chriſto JESU liberavit me a lege peccati, & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: DEUS Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis &c.* Quare, cum alios videmus ſecundum evangelii præſcriptum ambulare, alios ab eo aberrare, & libertati obſequi, hoc diſcrimen eſt, quod illi gratiæ auxiliis recte utantur, hi negligant: cui uſui, neglectuique morum diverſitas veterum, & hodiernorum chriſtianorum attribuenda eſt; non idcirco aliæ morum regulæ ab evangelii doctrina abhorrentes effingendæ fuerunt. Vigor enim evangelicorum præceptorum nunquam interibit, ex quibus etiam DEUS orbem judicaturus eſt, non ex theologiæ moralis ſcriptoris, aut privati theologi decretis. Quid tandem erit, quod reſpondeamus, cum DEUS ſupremi judicii die a nobis ſcire repoſcet, qua fiducia hominibus aliis legibus, quam quas ipſe in evangelio tulerit, cœleſtis regni ſpem fecerimus, morum canones ad per-

(*a*) Rom. VIII. 2. &c.

verſam ſæculi cupiditatem, morumque humanorum depravationem exigentes, non divinæ gratiæ virtute metientes, quæ non minore ubertate nunc affluit, quam primis eccleſiæ temporibus, niſi homines iisdem ſe ineptos reddant.

Chriſtianis æque nunc ac olim impoſita & per gratiam implenda.

VII. Sed torpor, & ignavia, malitia, & perverſitas humanæ mentis obices, & obſtaculum ſunt, ſi minus eundem nunc effectum, quam olim, ſortiantur. Spiritus S. qui in apoſtolos eſt lapſus, quemque illi ſacramentorum miniſterio contulerunt, nunc iisdem ſacramentis donatur: imo omni illi qui præparatum ad ſui ſuſceptionem affert cor, & animum, intime ſeſe inſinuat torrente voluptatis ſuæ: datus eſt enim, ut maneat nobiſcum in æternum, ſed quando, cupiditatibus, atque carnalibus illecebris homines avide inhiant, percipere nequeunt, quam magna dulcedo divini Spiritus ſit. Deinde pervicacia, mentis obſtinatio, atque reniſus perverſæ voluntatis Spiritui S. ne ſuam in nobis exerat virtutem, impedimento ſunt. Cum ſecus accidat in ſtudio cultus, & pietatis erga DEUM, quam aliis in rebus humanis: illis enim in omnibus, dum diu opera humana verſata eſt, & exercitatio, incrementum accedit: artes uſu expoliiuntur, & ſcientiæ diuturnitate au-

gmen-

Digitized by Google

gmentum accipiunt ; ſola in DEUM ſtudia cum tempore languerunt : ſatis hoc advertet , qui veterum chriſtianorum vitam & mores cum hodiernis conferet : illam , inquam , qui in actionibus ſimplicitatem , habitu modeſtiam, victu ſobrietatem , erga DEUM devotionem & pietatem , proximum charitatem , totius denique vitæ innocentiam & ſanctitatem cum noſtrorum temporum malignitate & depravatione comparabit, cum iisdem nunc ac olim adminiculis liceat eſſe ſanctis : ac præterea ſunt exempla ſanctiſſimorum virorum : eccleſiæ facies , & conſpectus aureis illis temporibus , quibus perfectiſſime evangelica vivendi norma tenebatur , & ſi etiam labi contigerit , de criminibus pœnitentia publica per plures annos , ſæpe ad finem uſque vitæ ſeveriſſima peracta , quæ modo paucis plerumque precibus ac pietatis , mortificationisque exercitiis abſolvitur : nunquam ea bis peracta, quod raro in eadem crimina relapſi ſint homines recte perfuncti ſemel pœnitentia ; & pœnitentia ſuſpecta ſit habita eorum , qui ſemel correpti non emendarint : aureis, inquam, illis temporibus, quibus complures nullius peccati ſibi conſcii pœnitentiæ ſeſe publicæ ſubdiderunt , homi-

mineſque libere ſuſceperunt graviſſimam diſciplinam jejuniorum, vigiliarum etiam totis noctibus, denique ſynaxum ſummo mane in multas horas perdurantium ſtationes obierunt; ut haud neceſſe fuerit, tot diras intendere, fulmina vibrare, omnes morum & præceptorum circumſtantias præfinitas ſtatuere: quod modo ad homines in officio continendos fieri debet. Neque hominum in pejus ſemper ruentium ſtudia cohibere potuerunt tot ſacrorum ordinum piiſſima inſtituta, quibus primi illi caruerunt, miniſtrorum item in dominica familia, paſtorum in chriſtiano grege copia, librorum multitudo, quibus pia monita, ſanctæ vitæ documenta continentur, & quæ alia id genus ſunt, ad vitam chriſtianam informandam ſubſidia, quibus nos præ patribus noſtris primorum temporum inſtruimur: tamen tantum abeſt, ut pares moribus ſimus, ut quotidie longius ab eorum ſanctitate abeamus. Id quod dubium injicere poſſet, perſeveretne divinus ille Spiritus, cujus auxilio, quæcunque bene agimus, fiunt in eccleſia: niſi graviſſima Chriſti auctoritas eſſet, de dando Spiritu S. *ut maneat nobiſcum in æternum.*

VIII.

VIII. Non ergo Spiritus ſancti deeſt gratia, ſed nos eidem deſumus, & indignos nos exhibemus, quos divina Spiritus ſancti aura aſpiret; cum illi eum accipere non valeant, qui mundi hujus partes ſectantur: eſt enim *Spiritus*, ut Chriſtus(*a*) ait, *veritatis*, *quem mundus non poteſt accipere.* Unde JOANNES (*b*), *Si quis*, inquit, *diligit mundum*, *non eſt charitas in eo*, ea nimirum, *quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, *qui datus eſt nobis.* Quid vero JOANNES (*c*) mundi nomine intelligat, mox explicat: *quoniam*, inquit, *omne*, *quod eſt in mundo*, *concupiſcentia carnis eſt*, & *concupiſcentia oculorum*, & *ſuperbia vitæ.* Hæc ſunt, quæ mentem humanam diſtrahunt, ne Spiritui S. intus aſpiranti aurem præbeat: hæc ſtudia pervertunt, ne, quæ ſunt divini hujus Spiritus, ſapiant homines, ſed potius quæ ſunt mundi. Quem omnes horrere, defugereque cenſentur, qui religioni chriſtianæ ſe nuncuparunt, non tantum, qui votis ſe obſtrinxerunt, quæ, cujusmodi mundi naturam & proprietates JOANNES deſcribit, contra eas ex adverſo pugnant, *concupiſcentia carnis*,

Si opportuna media ſuſcipiant, nec deſint gratiæ.

a b c

U 5

(*a*) Jo. XIV. 17.
(*b*) 1. Jo. II. 15.
(*c*) 1. Jo. I. 16.

Digitized by Google

nis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Non ergo de mundo ſunt illi, qui contraria mundo ſequuntur caſtra. Quorum ex numero omnes eſſe debent, qui filii DEI eſſe volunt. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut, filii DEI nominemur, & ſimus: propter hoc mundus non novit vos, quia non no-*
a *vit eum* (*a*). Eam nempe charitatem, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Nihil ergo obſiſtere exiſtimandum eſt, quo minus chriſtiani Spiritus ſancti in ſe virtutem experiantur, niſi ipſi ſibi obſint. Qui vero accommodatiora nacti ſunt ſubſidia ad hujus divini Numinis receptionem, eo majoris peccati reos ſe conſtituunt, ſi mentem divinis inſpirationibus claudant: locumque habebit, quod Chriſtus illis objecit, qui amplioribus præ cæteris ad reſipiſcentiam incitati
b ſtimulis, eam detrectarunt. (*b*) *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent: verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicii, quam vobis: & tu Capharnaum, nunquid uſque in cælum exaltaberis?*

(*a*) 1. Jo. III. 1.
(*b*) Matth. XI. 20.

Digitized by Google

ris? uſque in infernum deſcendes. Horum comparatione, conſiderationeque cognoſcere queunt chriſtiani omnes, cujusmodi judicium aliquando ſibi expectandum ſit, ſi eximias illas, quibus ad ſuſcipienda in ſe Spiritus ſancti chariſmata inſtructi ſunt, non attendant opportunitates. Quo noſtri nos muneris, & officii commonefacit, ut, ſi hactenus divini in nobis Spiritus conatibus, inſtinctibusque minus obſecundavimus, deinceps ſtudioſiores ejusdem ſimus diſcipuli, & auditores. Hujus divini Spiritus opem, & auxilia ſi, nobis promereri ſtudebimus, promerebimur autem, quando ejusdem in nobis molimінibus reſpondebimus, reviviſcet, reſplendeſcetque decor ille naſcentis Chriſtianiſmi, tantopere attritus, & jacens, ut nec ibi nativus ſit color, vigorque, ubi ſummus eſſe deberet ob ſingularem apoſtolicæ perfectionis æmulationem: cujus mali cauſa nulla, niſi hominum perverſitas eſt cauſanda; valet enim illud ab Ambrosio alia occaſione dictum: *Veteres illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris: nec vitia neſciiſſe, ſed emendaſſe.*

Cap. XI.

CAPUT XI.

Gaudium & tranquillitas conſcientiæ ex æqua morum cenſura, atque actionum omnium ad ultimum finem, ſummumque bonum relatio.

I.

Æqua morum cenſura ex conſcientiæ tranquillitate gaudio nos perfundit imperturbabili.

Æqua morum, actionumque humanarum cenſura, quam hactenus regulam, & normam actionum inſtituendarum, vitæque chriſtianæ rite componendæ conſtituimus, ſicuti in nobis conſcientiæ dictamen efformat, cui ſecure quis inhærere poſſit, ac debeat, ita etiam ſecuritatem, & quietem omnimodam præſtat de peractis ſecundum hanc regulam, æquamque cenſuram rebus. Quæ eſt tranquillitas illa, & gaudium, ac conſcientia bene actorum ſemper ab omnibus pro præcipua humanæ felicitatis parte agnita, & commendata, atque in præclara arte ſemper gaudendi alteram complet paginam. Vereor autem ne P. Sarasa eam nobis præſtet, poſſitque omnimodam polliceri ſecuritatem, probabiliſticis inſiſtendo, de conficiendo dictamine conſcientiæ, principiis: an nimirum penitus poſſit quis acquieſcere,

ſcere, dum de recta actione nec certitudo, nec major probabilitas habetur, quin vero magis ratio dictet, rectum non eſſe judicium, malamque actionem. Credo ſi reviviſceret vir acutiſſimus, ſaltem de opinione ſua, cui alteram artis ſemper gaudendi partem ſuperſtruxit ex conſcientiæ ſecuritate, atque inde emanante gaudio nonnihil remitteret, commoveretur que tot præjudiciis, quæ hactenus contra approbationem momentorum minus probabilium in concurſu magis probabilium ſunt facta, ut tutum ſatis non ſit eidem ita ſecure inhærere, & gaudere: quatenus nihil poſſit gaudium iſtud turbare, nec vel levis ſuſpicio, ne forte non ſatis firmum Probabiliſmus det artis iſtius ſemper gaudendi fundamentum; ſi vel ex principiis ipſis Probabiliſtarum decernatur, quibus ad ſententiam probabilem reddendam paucorum virorum peritorum judicium, ac ratio etiam minus probabilis ſatis eſt. Quum igitur ipſe Probabiliſmus a tot doctis, & probis viris reprobetur, tam valide impugnetur, an nihil iſtis movebuntur Probabiliſtæ, & imperturbata quiete, ac gaudio perfruentur? Ut nunquam aliquid ſuboriatur perplexitatis, quidquid tanta auctoritas tam extrinſeca, quam intrinſeca præjudicet pro ea mo-

rum

Digitized by Google

rum cenſura, quæ ad judicium, dictamenque conſcientiæ formandum probabiliorem requirit partem licet etiam minus tutam, ut adhuc in altera ſententia ſecuram credat ſe conſcientia, & imperturbatum illius putetur gaudium. Certe ipſi Probabiliſtæ haud diffitebuntur, hic minus, ac nihil omnino poſſe unquam ſuboriri, quod gaudium & quietem conſcientiæ perturbet, qua voluntas acquieſcit, ac placide indormiſcit conſcientiæ ſuæ judicio. Nihil hic obſtat: error Tutioriſtarum eſt apertus, & eccleſiæ judicio damnatus. Igitur vera eſt ſemper gaudendi ars, æqua morum cenſura adverſus rigidiorem & remiſſiorem: conſcia mens recti, indeque de recte factis gaudens, glorianſque ſecundum D. Paulum (a): *Gloria noſtra hac eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ:* nimirum ut hactenus explicuimus, ex recto & ſincero judicio conſcientiæ approbantis facta noſtra, non quaſi ex nobis, ſed virtute gratiæ DEI, ne in nobis gloriemur, quaſi non acceperimus. Interim tranquilla & læta ſumus conſcientia ex operum noſtrorum conſideratione juxta æquam morum cenſuram perfectorum, DEO tamen non nobis tota adſcripta gloria, ſolo ad nos pertinente,

(a) 2. Cor. I. 12.

tinente, intimeque afficiente felicitatis ſenſu, ac inexplicabili gaudio: quod ſapientia DEI ſumma factum eſt, ut ipſius gloria, & noſtra beatitudo ſint ita connexa, ut noſtra felicitas ſit DEI gloria, indeque gaudio pleno perfundamur ex conſcientia benefactorum, quibus legem ac voluntatem divinam nos feciſſe perſuademur.

II. Ut vero conſcientia recte mentem voluptate, ac gaudio perfundit, ita ex malefactis excruciatur. *Prima*, inquit SENECA (*a*), *& maxima peccantium pœna eſt peccaſſe.* Simul enim ac peccatum perpetratum agnoſcitur, tormentum conſcientiæ adeſt. Hoc nobis ſcripturæ apertiſſime in primis peccatoribus ADAMO & CAINO voluit manifeſtare, & propria quemque, in multis enim offendimus omnes, optime condocebit experientia. Nec aliter fieri poteſt, quando agnoſcimus nos contra rationem, jus, fasque egiſſe, legem aut in cordibus noſtris ſcriptam, aut in tabulis legis expreſſam, & nobis præſcriptam violaſſe, contra voluntatem Numinis egiſſe, iram illius in nos concitaſſe, atque pœnam commeruiſſe. Qui chriſtianis veritatibus, ac lege ſunt inſtructi, ſentire majus tormentum debent,

Quod peccato ac conſcientia mali turbatum ſpe veniæ, & pœnitentia iterum redit.

(*a*) Ep. 97.

bent, dum, quantum peccando perdant, quali ſe periculo exponant, quam gratiam ac ſpem peſſumdent, ſecum perpendunt. Non hic natura tantum, & ratio crimen exaſperat, ſed gratiæ etiam lumen non penitus extinctum terrorem incutit, ac doloris acutos ſtimulos excitat. Idque ſalutare eſt, quod pœnitentiam enim operatur, unde quis iterum eluctari valeat ex miſero ſtatu ac tortura animi, recuperata conſcientiæ tranquillitate & quiete. Ut adeo animus chriſtianus veram ſemper gaudendi poſſideat artem; niſi quando, ut bene ſibi ſit, & voluptate afficiatur ab incommutabili ad commutabile deficit bonum. Quam primum autem ad ſe redit, ut conſcientia mali diſcruciet, ſpes veniæ ex ſeria pœnitentia recuperandæ erigit, atque quo acrior pœnitentiæ eſt dolor, eo majore afficit gaudio, confidentiorem, certioremque facit animum divinæ indulgentiæ confiſum. Quare nihil melius eſt ad læſæ conſcientiæ vulnera ſananda, quietemque & gaudium illius peccando interruptum reſtituendum, quam cum DAVIDE peccatum ſemper contra ſe, ante faciem in conſpectu ſuo habere, atque quamprimum ſeſe angoribus, pungentibusque conſcientiæ aculeis expedire, agnita pec-

cati

Digitized by Google

cati fœditate de præteritis dolendo, & de futuris cavendo, ac de cætero bene ſperando. Ad quod neceſſarium ac unicum eſt remedium peccati agnitio & pœnitentia, ut gratiam inveniamus in tempore opportuno. Quamdiu enim in peccato perſiſtimus, nec per ſeriam pœnitentiam retractamus, manent conſcientiæ ſtimuli ac terror; ſimul autem cum pœnitentia illi extinguuntur, ac tranquillitas, quiesque conſcientiæ redit, quod conſtans gignit, ac inexplicabile gaudium. Quod ut perpetuum ſit, ſatagendum eſt, ut aut peccando non turbemus, aut turbatum quantocius reſtauremus: quod per divinam gratiam, niſi ei deſimus, poſſumus, DEO nobis relinquente, ac concedente præſentiſſimum per pœnitentiam remedium coram conſcientiæ & eccleſiæ tribunali apud nos in terris erecto, omnibusque patente. Ubi non ſolum impunitas, & remiſſio datur ſceleris, verum etiam amicitia cum DEO redintegratur, & gratia infunditur, qua DEO grati & accepti redhibemur, animæque priſtinus decor & dignitas reſtituitur: jura redintegrantur felicitatis æternæ, atque præſentis vitæ redit felicitas in gaudio conſcientiæ, ſenſuque ſtatus gratiæ & amicitiæ cum DEO tenerrimo. Sed ad hoc

opus eſt agnitione & confeſſione peccatorum coràm DEO & miniſtris ſuis in terris, quibus DEUS ligandi ac ſolvendi, remittendi, retinendique peccata dedit poteſtatem, quam fruſtra, & inique carnificinam conſcientiarum heterodoxi vocant, cum potius ſit a carnificina, & mala conſcientia, liberatio maximo ſacramenti compendio & virtute, dum eccleſiæ clavibus (quantum poſt ſedulum examen occurrunt peccata) ſubjecta, virtute ſacramenti, & clavium poteſtate pœnitentibus condonantur.

Ubi ordo ab auctore naturæ, & gratiæ conſtitutus recte ſpectandus eſt.

III. Hic in memoriam eſt revocanda naturæ & gratiæ conſideratio a nobis ſuperius facta, ſpectandusque finis, quo actiones noſtræ omnes tendere debent. Natura quidem noſtra corrupta in malum vergit, at divina corroborata gratia erigitur, &, niſi reſiſtat, ad bonum operandum prævalet, ut finem circa nos in regno naturæ & gratiæ intentum DEUS obtineat, quo debemus noſtras actiones dirigere, & ita ceſſando a malo bonum facere. Eſt hoc virtutum, perfectionisque chriſtianæ ſtudium, ſe, ſuasque actiones ad DEI voluntatem componendi. Secundum hoc, atque ex ultimato iſto fine unica recte dicitur virtus, quæ ſecundum objectorum tamen

Digitized by Google

men varietatem varia eſt. Sed ex fine bonitas ac perverſitas actionum cumprimis ſpectatur: dum quod exterius etiam legi ac voluntati divinæ conforme videtur, ob finem tamen malum pervertitur, & ſæpius vitioſa actio pro virtute venditatur. Multas actiones edunt homines ſine animi bonitate & recta intentione, ſineque debito; non ut divinæ legi & voluntati ſatisfiat, ſed ob ſuum aliquod commodum, pravam cupiditatem, affectionemque: quæ, quam ſplendida foris appareant opera, ac virtutum loco habeantur, a rectitudine tamen abeunt. Occulta hæc ſunt, & latentia vitia & peccata, quæ vix ab aliis, ac ſæpe nec ab ipſis operantibus animadvertuntur, naturæ vitioſitate abreptis, ſi pravi habitus præſertim accedunt, & conſuetudines. Hæc rectam agendi regulam pervertunt, & plurima opera vitiant, ac bonis etiam, & frugi hominibus lapſuum cauſa exiſtunt, & ita ſæpe imponunt, ut a virtute vitium, a pravo affectu bonus vix diſcernatur. Eſt hic haud minus frequens errandi periculum, quam in ſelectu rationum ac officiorum, quæ ab antiquis *καθήκοντα*, ſeu media officia ſunt dicta, quod probabili tantum conſcientia peragantur, contra ac *κατορθώματα*, ſeu per-

fecta officia. Defectus hic ſeſe in corrupta natura noſtra exerit, potiſſimum ex voluntatis depravatione, malisque propenſionibus: contra quæ eodem, ac majore etiam ſtudio invigilandum eſt, quam contra illos nævos, qui ex intellectus noſtri imbecillitate proveniunt; dum mens ad certam veritatem pertingere non valens, conjectura & opinione tantum probabili aſſequi poteſt fas æquumque. Utrobique quidem certus habetur finis divinæ voluntatis, ac legis proſecutio; is autem præſertim conſtanter, & unice eſt intendendus ſtudio voluntatis, nec abjici poteſt ſine ſubtili quadam idololatria, qua licet animo verum colimus DEUM, corde tamen aliis magis adhæremus rebus, ac bonis commutabilibus præ uno incommutabili ſummo bono, ac ultimo fine rerum omnium maxime creaturarum rationalium, quatenus actionibus ſuis omnibus divinam gloriam promovere nati, factique ſunt, poſtquam jam homo tam quoad naturæ, quam gratiæ ſtatum ab eo defecit, corruptione originali; ad eum autem in integrum reſtituendum per novam gratiæ legem comparatur, aptusque efficitur.

Ut officia noſtra, & actiones

IV. Eſt hæc divinæ imaginis in nobis in ſanctitate & juſtitia renovatio, atque con-

conjunctio, unioque ad Deum, a qua per peccatum deflectendo ad bona commutabilia ab incommutabili receſſus fit. In hoc autem officiorum rectitudo fundatur, actionesque noſtræ collimare debent, ad omnia ea removenda ac evitanda, quæ ab hoc fine abducunt. Eſtque hoc ſanctitatis illud ſtudium ad ipſum divinum exemplum nobis præſcriptum, in quo cum ſit puriſſimus DEI amor, quo ſeipſum amat, & per quem removet, quidquid cum ſummis ſuis perfectionibus non convenit, etiam noſtra ſanctitas in eo conſiſtit, ut amore ordinato ſeipſum ſuamque adeo felicitatem intime cum gloria divina, unioneque cum DEO conjunctam, promovere ſtudeamus. Quod quandocunque in actionibus ſuis præſtitiſſe homo conſiderat, felicem ſe eſſe gaudet: non quia ſibi de bono opere placet, quod totum eſt divinæ virtutis, & facile ſua inconſtantia, ac imbecillitate iterum corrumpit, ſed quod DEO debitum obſequium præſtiterit in eo ipſo, quo ſuam promovit perfectionem, ac felicitati ſuæ ſtuduit, ad quod a DEO obligamur, natura & gratia amoris intimum ſenſum erga nos ipſos indente, illiusque ſtudium præſcribente, ut felicitatem & perfectionem noſtram proſequamur, in o-

ſingulæ recte ordinentur, conformentur.

mnium facultatum noſtrarum legitimo uſu, ſtudioſaque omnium earum rerum & actionum omiſſione, quæ tam quoad animam quam corpus huc non conferunt, ad bona commutabilia ab incommutabili abducunt, reſtaurationem imaginis divinæ, unionemque cum DEO ſummo bono, ac ultimo fine impediunt. Quarumcunque ergo aliarum rerum, bonorumque commutabilium uſus eatenus tantum conceditur, quatenus nos ad finem ultimum ducit. Quodſi contra nos ab eo avertunt, ut in omni peccato evenit, & in ea corruptione noſtra, atque ad malum pronitate nimis frequens eſt, & proclive, abuſus maximus eſt. Quæ vero in officiis erga nos ipſos habetur ratio, eadem erga proximum eſt, quem amare cuique DEUS præcipit ſicut ſeipſum (*a*): Quod minime faciunt, qui alium in quoquam bonorum ſive corporis, ſive animi lædunt, obſtringunturque non tantum ad illatum malum, ſi quod acciderit, reſarciendum, verum etiam ad quæcunque mala avertenda, illiusque bona promovenda ex præcepto amoris a DEO dato. Ut ſi ita neceſſitas proximi petat, etiam de noſtris bonis ſuccurramus, ac quantum

(*a*) Matth. XXII. 39.

Digitized by Google

tum poſſumus, illius ſtudeamus commodis; ita amoris natura ferente, qui nobis erga proximum haud minor quam erga nos ipſos præcipitur, ſumusque omnes tam per naturam, quam gratiam arctiſſime conjuncti, & ad inſolubilem ſocietatem copulati, ad eundem finem per eadem media a DEO æqualiter deſtinati, & pari in amore habiti, nec ab eo derelicti, dum ipſum reliquimus. Quæ dum DEUM nobis præſtitiſſe cernimus, nos etiam æmulari, ac invicem exhibere debemus, & ita ſimiles DEO reddi imaginis divinæ reſtauratione officiorum omnium fonte, unioneque cum DEO, actionum omnium, & totius vitæ noſtræ unico fine.

V. Diſputent ergo inter ſe de principio unde juris divini concluſiones officiorum, actionumque humanarum regulæ directrices deducantur, & ad praxin deducantur. Quamdiu ad illud non pertingunt, quod eſt primum omnium rerum principium, ac ultimus finis, non ſolum nihil agent, verum etiam ſive in privato commodo, ac propriæ ſalutis ſtudio cum Epicuro & Hobbesio, ſive cum Socialiſtis in communi generis humani in ſocietatem coeuntis utilitate hic ſubſiſtant, in DEUM injurii ſunt, ex

Ad debitum ac ultimum finem, ac ſummum bonum noſtrum Deum.

cujus diſpoſitione & voluntate omnia pendent, quam ille per rationem & revelationem nobis manifeſtavit, legeque obligavit: qua obſtringimur in omnibus officiis & actionibus noſtris, eique conformari debemus, ut ultimato ad eum referantur, ac redeant tanquam ad ultimum finem, a quo ceu primo principio omnia proveniunt. Eſt hæc divina gloria, & noſtra ſimul felicitas, ex ſenſu perfectionis noſtræ obtentæ per impletionem divinæ voluntatis, obſequio, cultuque integerrimo ei præſtito, per rectum facultatum omnium uſum, præſertim autem interiorum animæ, quibus capaces ſumus ad agendum ex fine, proſequendumque bonum, ultimo fine, ac ſummo bono ipſo DEO nobis præſtituto; quem intellectu cognoſcamus, voluntate autem amemus, eique adhæreamus ac conformemur, cognitione non ſpeculativa tantum, verum etiam practica, amoreque ſimul affectivo ac effectivo: dum nimirum agnitio & amor DEI ad actiones noſtras ejus voluntati conformes edendas nos adducit, eum in omnibus honorandum, eique obtemperandum, quo cultus DEI omnis tam internus quam externus, totaque divinæ gloriæ ratio abſolvitur, quatenus a creaturis rationalibus ei præſtari poteſt, &

per

per eas res cæteræ omnes ad eundem finem dirigi debent, quæ intellectu, & voluntate deſtitutæ nec agnoſcere finem, nec eum ceu bonum proſequi poſſunt, ſicuti creaturæ intellectuales; atque inter eas nos homines ad hoc facti, & conditi, ut & ob finem agamus, & bonum ſuapte natura inhiemus, fine ultimo ipſo DEO nobis ex operibus naturæ, providentiæ, & gratiæ agnito tanquam ſummo bono, prout eſt in ſe ſumme perfectus, erga nos autem beneficus. Unde amor erga DEUM non poteſt non ſummus oriri ex contemplatione radiorum divinitatis in operibus naturæ, providentiæ, & gratiæ, qua ad DEUM ſummum bonum unicum felicitatis noſtræ centrum ferimur: ulterius autem conſideratione ſummæ illius excellentiæ, & majeſtatis ad reverentiam, & timorem incitamur, quo omne id agendi, quod ad ipſius honorem facit, eaque evitandi, quæ ei contraria ſunt, ſtudio maximo teneamur, ne ab illo tanquam ſummo bono ac ultimo fine unquam ſeparemur: ſed in omnibus ejus voluntatem impleamus, atque integerrimam exhibeamus obedientiam tanquam Domino, ac Patri noſtro, qualem tam in regno naturæ, quam gratiæ agnoſcimus, & veneramur: præſertim autem poſt

Digitized by Google

lapſum experimur, dum a fine ultimo, ac ſummo bono excidimus, per virtutem vero gratiæ iterum reſtauramur, ut poſſimus aſpirare, & proſequi præſtitutum finem, ſummumque bonum obtinere, dum actiones noſtras ſtudemus conformare, atque uſum facultatum noſtrarum eum in finem impendere ſecundum voluntatem DEI ad ſuam gloriam, noſtramque felicitatem.

Ad quem ultimato omnia referenda.

VI. Hoc ſpectato colligere licet, quam fruſtra ab Atheis rectam actionum normam requiras, quam illos principia in doctrina morali fugere debeant, ſive autem exiſtentia DEI omnino, ſive providentia tantum negetur perinde eſt: quando leges divinas, pœnas, & præmia, immortalitatem animæ tollunt, fundamenta omnis doctrinæ moralis penitus ſubruunt, & evertunt. Vix inter eos repertus eſt, qui hoc fuerit confeſſus: imo plerumque videri volunt admittere, ſalvum ſeſe ethices ſyſtema, juſti injuſtique regulam, ac rectam vivendi normam conſervare, ac tueri. Sed nihil ſolidum ab illis exſpectare licet, omnia ex commodis, aut incommodis hujus vitæ ſive privatis, ſive publicis metientibus, derivantibusque. Quam primum ergo hæc ceſſet ratio, nec poſſit aliquem commovere efficaciter, præponderanti-

bus,

bus, & aggravantibus cupiditatibus, nihil erit quod tales cohibeat a nefandis, turpiſſimisque perpetrandis rebus. Quidquid etiam externa ſpecie gerant, nunquam tamen veræ virtuti ſtudebunt, qui ex conventionibus, & pactis, aut commodis omnia metiuntur, non honeſtate, ac voluntate DEI ſupremi rerum moderatoris, ac pœnæ, ac præmii diribitoris. Unde obligatio omnis recte agendi, & quæ in virtutis ſtudio præſertim accisis corruptæ naturæ noſtræ viribus occurrit difficultas, eam ſuperandi amor, & voluntas conſtans, ac firma eſſe poſſunt. Non hic diſputabo, an detur intrinſeca actionum moralitas, nec ne, tandem enim, ac ultimato ad primum rerum principium, & fontem omnia redeunt, DEI ſapientiſſime ſingula ordinantis, atque ipſi etiam rationi indentis eam vim, ut, quod fas, æquumque eſt, poſſit diſcernere. Cujus rei idem, ac naturæ eſt auctor, legislator DEUS, ſine quo nec ratio, nec æquitas naturalis, nec ipſa natura eſt. Hic aberrant, qui aut cum HOBBESIO ab imperio divino eximunt, qui vel DEUM eſſe non credunt, vel etiamſi credant, eum tamen inferiora hæc non regere credunt; aut qui, ut hujus etiam furfuris homines Atheos, & Deiſtas legi

ſub-

Digitized by Google

ſubdant, etiam ſine reſpectu ad DEUM, ejusque voluntatem, legis obligationem ſtatuunt. Peſſimum enim eſt DEUM quocunque modo veluti ſeponere a rebus ſuis, quas condidit, & gubernat nutu, & voluntate ſua. Nec ullo modo jus illius eſt infringendum, aut illius ignorantiæ, quæ aut omnino nulla eſt, aut niſi vincibilis, ſummeque deteſtabilis eſſe non poteſt, cui quomodocunque patrocinari, impietati frena laxare eſt. Meliora hic gentiles docuerunt. *Sit igitur*, inquit CICERO (*a*), *hoc a principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum, ac moderatores Deos, eaque, quæ geruntur, eorum geri vi, ditione ac nomine, eosque optime de genere hominum mereri, &, qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque, & impiorum habere rationem.* Nec aliunde quam a DEO regula recti, juſtique repeti debet, nec ullo modo eos, qui DEUM abjiciunt, credendum, idcirco non ut alios ejus legibus teneri, aut illis aliam quam ex divino præſcripto regulam ac normam eſſe poſſe, ac debere. *Lex vera*, inquit idem (*b*), *atque princeps apta ad jubendum, & vetandum,*

(*a*) De leg. L. I. c. 7.
(*b*) Ib. L. II. c. 4.

dum, ratio eſt recta ſummi Jovis. Quodſi ſemel hæc ſumma jubentis, ac vetantis lex abjiciatur, imo ipſa DEI agnitio abſit, & obſervantia in Numen, quid boni, rectique ſperare licet? Quibus non erroribus tandem regulam æqui, rectique accommodare licet, ſi hoc fas eſt craſſiſſimæ, impiiſſimæque abnegationi ſupremi Numinis tribuere? Nullum aliud huic eſt par, ac comparandum ſcelus. Quodſi ergo huic licet favere tam grandi impietati, & regulam æqui ſubjicere, jam nulla amplius erit ea norma.

Nec hic ordo in ullius gratiam ſubvertendus.

VII. Non ego in quæſtionem aut dubium hic voco bonam fidem ac intentionem, qua inducti indulgendum errori Atheorum, eique ethicam & jurisprudentiam naturalem accommodandam quidam cenſuerunt, ut nimirum, non obſtante eorum impietate lege tamen naturali nihilominus obligante a vivendi licentia revocentur, ſuapte natura actionibus pravis felicitatem humanam ſubvertentibus, & pœnas ſecum ferentibus: ut ſi nullus DEUS, aut ſuperior pœnas intentans foret, non tamen eſſet impunitum ſcelus contra legem ac ordinem naturæ patratum. Quod *Chriſt.* Wolffius ſciſcit: nec omittit tamen officia erga DEUM explicare atque oſten-

Digitized by Google

ſtendere, quantum pietas erga DEUM ad culturam virtutum conferat, quamque obligatio naturalis conjuncta ſit cum voluntate divina, obligationeque determinandi liberas actiones per motiva ab attributis divinis deſumta, ac committendi actiones legi naturæ pariter convenientes, & voluntati divinæ conformes. Nihilominus legem naturæ vult ſubſiſtere in hypotheſi Athei: timetque, ne opinio de indifferentia naturali actionum moralium, & obligatione naturali nonniſi a voluntate DEI deducenda licentiam vivendi faciat. Atque adeo noſtro ſæculo, *quo luxus pudendus,* ſunt ipſius Wolffii (a) *verba*, *animos hominum occupavit, & Atheiſmus in vulgus ſpargitur, ac religio omnis, imo ipſa virtus in contemtum adducitur, maxime opus ſit, ut Indifferentiſmus moralis ex animis hominum evellatur, & bonitatis intrinſecæ actionum, atque obligationis & legis naturalis genuina notio iiſdem ingignatur.* Non negat, obligationis etiam naturalis auctorem eſſe DEUM. At hoc ipſo in neminis favorem minime vero impiiſſimi Athei gratia abſtrahere in Ethica, aut jure naturali debuiſſet ab hac obligatione auctoris naturæ DEI, eamque in ſola hominis eſſentia reponere, ut

(a) Ethicæ P. III. c. III. §. 131.

Digitized by Google

ut quis Atheus ſit, ac manere poſſit, obligatus tamen naturæ perſiſtat, ſolutus ab auctore naturæ, & independens. Quod minime committendum, nec etiam cum ipſis principiis Wolffianis conſiſtit, cauſas finales in hoc univerſo tantopere urgentibus, a DEO conſtitutas ad manifeſtandas divinas perfectiones, atque adeo omnia determinanda etiam actiones liberas & morales ſecundum hos a DEO intentos fines, quorſum uſus omnium facultatum & actionum noſtrarum ſpectat & dirigitur. Fatendum tamen Wolffium hic adhuc conſultius egiſſe, quam qui prorſus ex arbitrio hominum & pactis, non ex voluntate, auctoritateque ſupremi rerum Domini ac legislatoris, jus & commoda creaturarum tantum conſiderando, officia præſcripſerunt illis omiſſis ac ſepoſitis, quæ erga DEUM primum principium & ultimum finem omnium primo ſunt collocanda. Ac vel maxime cavendum, ne impii vel hinc a DEO abducantur, quod ſe ex ratione vivere, ac cuique ſuum tribuere poſſe ſibi perſuadent nullo ad DEUM reſpectu habito. Neque ferendum, inter chriſtianos tam ſublimem de DEO, rebusque divinis cognitionem nactos, eam ullo in officio, ullo in ſtatu ac tractatu cujusquam ſcientiæ,

Digitized by Google

tiæ præſertim ad vitam, moresque inſtituendos pertinente præteriri, & dum tanta luce a DEO divinitus ſumus colluſtrati per verbum divinum, cæcæ, & pravæ rationi naturæque omnia committere, ac officia ad hanc ſolam reſtringere vitam, atque ad eos, quibuscum nobis eſt commercium, & ſocietas. Nec intereſt, quod ita in juris naturalis inſtitutione tantum agendum putent, ne ſcientiæ inter ſe confundantur. Recte cavetur iſta confuſio, ut tamen finium ſubordinatio ad ultimum uſque DEUM nimirum integra ſit, & ſalva. Amor ſui ſuper omnia ſeu maximus, ſumma imbecillitas, ac propenſio hominis ad nocendum, quæ ſolent prætexere, etiam ſocietate conjunctos manent: nec apta his malis præbet remedia ſocialitas, ſed ſolus DEUS, quem iſti excludunt, bonis ſuis intenti, & commodis, ſummo neglecto bono. *Summum autem bonum*, ſapientius CICERO (*a*) ſciſcit, *ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt: ex quo tantus error conſequitur, ut quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur, quid ſit & bonorum extremum, & malorum, inventa vitæ via eſt, conformatioque omnium officiorum.* Indignum autem

(*a*) Lib. V. de finibus. c. 6.

autem eſt homine chriſtiano quocunque jure, quocunque in ſtatu aliud quam DEUM ſummum ſtatuere bonum, atque ad illud vitam omnem, ac vivendi rationem dirigere.

VIII. Imo piaculum eſt chriſtiano DEUM in ſuis actionibus quomodocunque ſpectatis aliter conſiderare, quam legis tam gratiæ, quam etiam naturæ auctorem, ac ſupremum Dominum. Nec hic tuto præſcinditur in philoſophia etiam morali, ut veri ſummi boni ac ultimi finis conſideratio quacunque demum ratione dimittatur. Si præſertim attendatur ſtatus noſter, quali ab ipſa noſtra prima creatione omnino ſupernaturali divina benignitate ſumus ornati, & poſt lapſum ex eodem ſtatu iterum per Chriſtum ad eundem reſtituti, nullo excepto ex toto genere humano, omnibus etiam ad eundem obſtrictis, atque absque eo damnationi obnoxiis. Ut adeo fruſtra ſit ſocialitas a religionis obligatione abſtracta, qualem ſunt, qui ſibi confingunt ſtatum rerum nusquam in rerum natura exiſtentem prout a DEO conditi gubernamur in ſublimem ſupra naturam ipſam evecti conditionem feliciſſimam, niſi ipſi nobis deſumus. Quod nobis de æqua morum cenſura tra-

Diminutis juribus ſacris in lege naturæ & gratiæ.

tractantibus ſaltem paucis fuit notandum, veluti aliud agendo, dum eos inſtituimus tantum perſtringere, qui in chriſtiana morali aut rigidiorem, aut remiſſiorem incedunt viam, aut nimium reſtringendo, aut relaxando legem DEI, & quidem gratiæ, qua non quidem multa præcepta accumulantur, ſed virtus tribuitur, & media ſuppeditantur ad omnia perfecte adimplenda, ut nec quædam impoſſibilia ſint etiam volentibus, & conatibus juſtis, quod Rigoriſtæ volunt, nec gravia ſint, & hinc relaxanda, ut remiſſior tenet doctrina moralis, jugum Domini ſuave per licentiam, exemtionemque a lege conſtituendo non per gratiam, qua ſuave fit jugum, ac leve onus, fine præſertim ſpectato felicitatis, ac præmio vitæ æternæ, pro brevi labore hujus vitæ, in cœlis.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abſolutio an, & quando neganda confitenti? 219.&c.
- - an præmitti poſſit impoſitæ pœnitentiæ? 45.
Æquivocationum & reſtrictionum mentalium uſus. 180.
Amor puriſſimus an ad communionem neceſſarius. 53.
Amoris DEI & proximi mandatum fere ad nihilum redactum. 173.
Amoris proximi officia. 326.
Arnaldus & Portus regius an male de Euchariſtia ſenſerit? 54. 55. 56.
- - Ejusd. Liber de frequenti communione. 14. 16. 48. 49.
- - Scripta contra Jeſuitas. 57.
Aſceſis a doctrina morali non ſejungenda penitus. 283. 285. &c.
Aſſenſus rationabilis quæ requirat rationum pondera. 256.
Atheiſmus fundamenta doctrinæ moralis tollit. 330. 334.
Attentionem externam ſolum ſtatuentes in orando, jactant ſe peccata tollere. 124. 125. 171.
Attritio quem amorem flagitet ad Sacramentum pœnitentiæ. 43. 44. 216.

B.

Beatitas hujus vitæ. 325.
Buttilierius mentem mutat erga Rigoriſtas. 51.

C.

Caramuelis fundamentum Probabiliſmi, non certitudo legis. 122. 151.&c. ad excuſationem peccatorum. 124.
Certitudo moralis in magis probabili. 25. 26.
Chriſtus veluti inter duos latrones, æqua morum cenſura. 65.

Communio frequens quomodo admittenda? 49. &c.
Confeſſariorum periculi plenum officium. 268.
Conſcientiæ tranquillitas ex Probabilioriſmo. 318. non Probabiliſmo. 316. &c. cruciatus ex malefactis. 319.
Conſcientiæ & rationis dictamini minor probabilitas oppoſita. 127. 131. 140. 255. 258. 264.
Cultus B. V. MARIÆ verus. 40.

D.

Dianæ 3000. opiniones minus probabiles. 71.
Dubia mens, ubi æquales rationes in utramque partem. 128. 131. 133. 142. 254. 260. vel auctoritas 130.
Dubius quinam recte dicatur? 25.

E.

Eccleſia non ligante, peccata DEO relinquuntur. 242.
Epiſcopi nulli Probabiliſmi propugnatores. 98. & ſectatores. 108. 109.
Evangelica præcepta. 117. ac regula morum. 123.

F.

Finis ultimus ipſe DEUS. 328. &c. 337.
Finis in actionibus ſpectandus præcipue. 323.
Forma Cleri in communitate viventis. 38.
Fromondi Liberti propoſitiones contra opiniones probabiles. 14.

G.

Generalium Soc. JESU ſententiæ contra remiſſiorem morum cenſuram. 89. &c.
Gratiæ & naturæ corruptæ doctrina quomodo abutantur Rigoriſtæ & Probabiliſtæ. 199. &c.

I.

Idololatria moralis hominum. 324.
Jeſuitæ non ſunt auctores Probabiliſmi 88. 97. qui Probabiliſmum impugnarunt? 89. 93. 97.
- - Eorum doctrina moralis. 93. &c.
Ignorantia juris & facti quæ excuſet 31. 32.
- - invincibilis. 33.
- - vincibilis, an excuſet a peccato? 148. &c. 262. &c.

quæ-

quænam dicatur? 150. 151. 152.
- - an nunquam excuſet a peccato? 7. 22. 30. 32. 198. &c. 207. &c.
Improbabile idem, quod minus probabile. 132. &c.
Indulgentiæ. 234. 235. 245.
Judicium reflexum ob momenta Probabiliſmi petitio principii. 134. &c. 263.
Jugum ſuave gratia facit. 126. 177. 308. 286.

L.

Lex an non cenſenda, ubi etiam magis probabile eſt eam obligare? 141. reflexa Probabiliſtarum? 145.
Legis incertitudo fundamentum Caramuelis pro Probabiliſmo. 122. 151. &c.
Litterarum ad Provincialem fata. 10. &c.

M.

Medina inventor Probabiliſmi. 73.
Montaltius auctor litterarum ad Provincialem. 9.
Moralis chriſtiana revelatione & gratia vergit. 273.
Mores, unde nunc tam diverſi ab antiquis. 114. &c. 119.
Morum regulæ a Clero Gallicano præſcriptæ. 104.
- - - Perverſitas Probabiliſmo occaſionem dedit. 112. 121.
Myſticæ Theologiæ moralis chriſtiana innixa. 248.

N.

Neumayr, *P.* concio a Clemente XIII. proſcripta. 87.

O.

Obſervatio jugis legis divinæ, facilitatem ac habitum conciliat. 285.

P.

Parabola ex Abrahami facto contra Rigoriſmum. 60. &c.
Patres a Probabiliſmo alieni 69. 70. eorum Theologia moralis. 276. &c.
Peccata venialia etiam cauſam eſſe abſtinendi a communione. 52.
Peccatum Philoſophicum. 149. 166.
Pelagianiſmus moralis. 275. 284.

Philoſophorum errores circa doctrinam morum. 275.
Pœnitentia publica an olim etiam pro occultis criminibus ? 235. &c. an pro minus enormibus etiam. 236. an pro omnibus lethalibus. 238.
- - Sacramentum an Arnaldus & alii abolere voluerint. 55. 56.
Pœnitentiæ publicæ quinam olim non ſubjecti. 226. &c. 232. 239. relapſi nunquam. 228.
- - - ratio antiqua. 41. 225. &c. 231. &c. an hodie revocanda ? 42. 47. 58. 205. 206. 224. &c. 234. &c. 244.
- - - Tribunal in - & externum. 225. 233. &c. 238. 244. &c.
- - - - Aliud prima Eccleſiæ ætate quam deinceps, ac hodie. 225. 233. 242. &c.
Probabilia ſectari licet, ubi certa non aſſequimur. 66. 247. &c. quænam dicantur ? 67.
Probabiliore ſententia relicta ſequens minus probabilem non agit prudenter. 137. 257. &c.
Probabilioriſmus an Janſeniſmi proles ? 17.
Probabiliſmus conſcientiam non tranquillat. 316. &c.
- - Ejus damna. 103. 106. 107. Fons. 109. 120. Corruptelæ. 112. &c. 171. &c. 192. &c. 259.
- - Ejus partes & principia jam damnata. 185. &c. 189. 270.
- - Eundem ejurarunt Cardinales. 99. aut impugnarunt. 101. Excepto Viva, & Lugo. 101. 102.
- - Sæc. XVI. demum ortus. 68. 73. mox rejectus. 74. non uno modo a ſuis defenditur. 75. 76. rationi repugnat. 76. natus ex corrupta ratione. 109. 118. 120.
- - verus, ubi decernitur ex rationibus præponderantibus. 132. 139.
Probabiliſtæ plus ſibi arrogant, quam omnes legislatores. 164. fontes theologicos negligunt. 117. &c. 170. 196. &c. 307. &c.
Probabiliſtarum libris, an & quibus utendum ? 280. &c.
- - quinam excuſari poſſint. 76. 78. 79.
Probabilitas, an unquam regula morum ? 22. 23. 24. 26. 27.
- - Quouſque extendatur ? 78.

Digitized by Google

78. 80. &c. 86. 124. 127. 168. 270.

- - Eam minorem quando ſequi non licere admittunt etiam Probabiliſtæ. 155. 269. &c.

Propoſitiones damnatæ, quæ ut probabiles defendebantur. 182.

R.

Rationis & conſcientiæ dictamini Probabiliſmus oppoſitus. 127. &c. 177. &c. 197. 267.

Religio falſa an retineri poſſit, etiamſi minus probabilis videatur. ? 155. &c. 161. &c. 246. &c.

Religioſi an tribunali pœnitentiæ recte addicantur. 37. &c. 39.

Religioſi Ordines an cauſa immutatæ diſciplinæ circa pœnitentiam. 246.

Reſtrictionum mentalium uſus. 180.

Rigoriſmi definitio. 20.

S.

Sacramentum pœnitentiæ quomodo primis ſæculis ſe habuerit? 241.

Sceptici qualis Probabiliſmi ſectatores. 71. 73.

Schiſmata primis ſæculis ex rigore. 2.

Scientiæ mediæ uſus in Probabiliſmo. 203.

T.

Theologi Rigoriſmi accuſati. 14. 15. 18.

Timor ſervilis & filialis. 217. &c.

Tutius an ſemper amplectendum? 7. 8. 22. 23. 28. 34. 59. 207. & quando? 68.

V.

Veritati, quam licet, proxime accedendum in cenſura morum. 247. &c. 251. &c. 262. 266.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 11. lin. 28. pro *ſalesque*, lege ſalſeque. p. 49. l. 11. *cognitant*, l. cogitant. p. 54. l. 3. *uſu*, l. de uſu. p. 62. l. 24. *ponit*, l. ponat. p. 71. l. 28. *anguſtiora*, l. auguſtiora. p. 80. l. 25. *totum*, l. totam. p. 140. l. 3. *nulla*, l. nullo. p. 168. l. 13. *hujusvis*, l. cujusvis. p. 181. l. 7. *canoſo*, l. cœnoſo. p. 186. l. 23. *tertii*, l. tertia. p. 191. l. 21. *prodendit*, l. protendit. p. 203. l. 2. *propter*, l. præter. p. 238. l. 16. *pondunt*, l. pandunt. p. 246. l. 1. *ſuum*, l. uſum.

Digitized by Google

SEB.
Digitized by Google

Digitized by Google